J. R. Reinhard




*Sigillum Samsonis Abbatis S. Edmundi*
*in Archiv. Eccl Christ. Cantuar. asservatum.*

# CHRONICA

# JOCELINI DE BRAKELONDA,

DE REBUS GESTIS

SAMSONIS

ABBATIS MONASTERII SANCTI EDMUNDI.

NUNC PRIMUM TYPIS MANDATA

CURANTE

JOHANNE GAGE ROKEWODE.




LONDINI:
SUMPTIBUS SOCIETATIS CAMDENENSIS.

M.DCCC.XL.

LONDON:
PRINTED BY JOHN BOWYER NICHOLS AND SON, 25, PARLIAMENT STREET.

# COUNCIL

OF

## THE CAMDEN SOCIETY,

ELECTED MAY 2, 1840.

---

*President,*

THE RIGHT HON. LORD FRANCIS EGERTON, M.P.

THOMAS AMYOT, ESQ. F.R.S. Treas. S.A. *Director.*
CHARLES FRED. BARNWELL, ESQ. M.A., F.R.S., F.S.A.
THE RT. HON. RICHARD LORD BRAYBROOKE, F.S.A.
JOHN BRUCE, ESQ. F.S.A. *Treasurer.*
JOHN PAYNE COLLIER, ESQ. F.S.A.
C. PURTON COOPER, ESQ. Q.C., D.C.L., F.R.S., F.S.A.
THE RT. HON. THOMAS PEREGRINE COURTENAY.
T. CROFTON CROKER, ESQ. F.S.A., M.R.I.A.
THE REV. ALEXANDER DYCE.
SIR HENRY ELLIS, K.H., F.R.S., Sec. S.A.
THE REV. JOSEPH HUNTER, F.S.A.
SIR FREDERICK MADDEN, K.H., F.R.S., F.S.A.
THOMAS STAPLETON, ESQ. F.S.A.
WILLIAM J. THOMS, ESQ. F.S.A. *Secretary.*
THOMAS WRIGHT, ESQ. M.A., F.S.A.

## CORRIGENDUM.

P. 129, l. 30, *for* "baserpent," *read* "ba serpent."

# PREFACE.

---

The present Chronicle comprehends the annals of the Monastery of St. Edmund from the year 1173 to 1202. The early pages give a rapid sketch of the state of the Monastery under Abbot Hugh, intended as an Introduction to the History of the Government of Samson de Totington, his successor, whose acts are the chief object of the Chronicle. Abbot Hugh died in 1180, and was succeeded by Samson in 1182, after a vacancy of a year and three months.

Jocelin de Brakelond, the writer, a native of St. Edmundsbury,[1] dates his Chronicle from the year when the Flemings were taken prisoners without the town (alluding to the battle of Fornham in 1173), in which year, he tells us,[2] that he took the habit at St. Edmund's, having made his noviciate under Samson, then Master of the Novices, afterward Abbot, to whose charge he had been

[1] The Long Braklond, leading from the North Gate to the Market Place, and the Little Braklond, are ancient streets of St. Edmundsbury mentioned in deeds 33 Edw. I. Regist. Croftis, MS. Harl. XXVII. fol. 5. 10 v. 14. 15.

[2] Vide Chron. p. 1.

specially committed.[1] According to Bale,[2] he studied at Cambridge; but for this we have not seen any authority. At the time of the election of Abbot Samson, Jocelin was the Prior's chaplain; and within four months was promoted to be chaplain to the Abbot,[3] with whom he lived, to use his own language, day and night for six years.[4] In 1198 and 1200, he did the honours of the abbey as guest-master,[5] perhaps still continuing one of the Abbot's chaplains; and was afterward almoner, an office which he filled at the death of Samson in 1211.[6]

A contemporary monk of St. Edmund's has recorded[7] the character of our Chronicler in these simple words: "Dominus Jocelinus elemosinarius noster, vir religionis eximie, potens in sermone et opere."

Jocelin de Brakelond wrote[8] on the miracles of St. Robert, the boy martyred by the Jews at St. Edmundsbury in 1181. Bale, and later bibliographers, also ascribe

[1] Ibid. p. 3. [2] Script. Illust. Bas. 1559, p. 259.

[3] Chron. p. 19.

[4] Ibid. p. 27. Bishop Tanner, in error, represents that our author was cellarist of the monastery in the 9th Richard I. confounding him with Jocellus or Jocellinus, twice cellarist, and afterward appointed to the Altar. Vide Chron. pp. 84, 86, 91; Chronica de Electione Hugonis Abbatis MS. Harl. 1005. fol. 164.

[5] Chron. pp. 71, 95.

[6] Ibid. p. 50. Chron. de Electione Hugonis Abbatis, fol. 165.

[7] Chron. p. 50. [8] Ibid. 12.

to him the Chronica de Electione Hugonis Abbatis, postea episcopi Eliensis; but the part which our author took, on the occasion of that election, is spoken of in the same Chronicle in such a manner as to leave no doubt that it was the work of another.

The public events recorded in this volume are chiefly those in which the Abbot of St. Edmund's had a share during the reigns of Henry II. and Richard I. They are not without historical interest; but the merit of the Chronicle lies more in the variety of ordinary incidents detailed, from which often something is to be learnt touching our language, manners, and customs, or our system, civil and religious, particularly the monastic polity.

The style of the work is easy, mixed, but not offensively, with the language of writers sacred and profane, according to the custom of the monastic historians of the age. The story is told throughout with a pleasing naïveté, and sometimes humour; the characters are drawn with spirit, and the whole seems written with truth.

That part of this Chronicle is subsequent to the Chronicle of Diceto, is apparent from the fact, that our author, commenting on an occurrence in the Monastery of St. Edmund during the year 1200,[1] cites words which he finds apt to his purpose, used by the Dean of London in his Chronicle.

[1] Chron. p. 97.

Incorporated in our Chronicle is an episode,[1] headed, "De Henrico de Essexia," being an account of the duel between Henry de Essex and Robert de Montford. The heading is our author's; but the narrative is expressed to be added by a monk who accompanied the Abbot of St. Edmund's to Reading, and received the relation from Henry de Essex himself, then in the cloister of the Abbey of Reading. This episode has certain pretensions to classical Latin, and forms a contrast to the easy colloquial style of Jocelin.

At the end of the Chronicle, which breaks off abruptly some years before the death of Abbot Samson, will also be found an evidence of the lands held of St. Edmund's granted to the family of Cokefeld. This brief document purports to be written[2] by William de Dice (Diss), then one of Abbot Samson's chaplains, who had access to the Cokefeld charters, and is in the nature of an appendix to our Chronicle, being obviously added in proof of the right of the monastery to certain lands claimed by Thomas de Burgh as belonging to Nesta de Cokefeld, afterward his wife, the subject of a suit determined against the convent which is spoken of in our Chronicle.

Spelman, Reyner, Battely and others, referring to our author, cite from a MS. in the Cotton Collection, Vitellius

[1] Chron. p. 50.

[2] Ibid. p. 102.

D. xv., which is described in Smith's Catalogue, in these words: "Chronica Jocelini de Brakelonde de rebus domesticis Cœnobii S. Edmundi de Burgo: h. e. de Abbatibus, prioribus et cœteris officialibus, de electionibus, de litibus et rebus qualitercumque ad istud Cœnobium spectantibus." The MS. cited is wanting; and it is conjectured to have suffered in the fire that destroyed part of the Cotton collection.

The present Chronicle is edited from the Liber Albus Monasterii S. Edmundi, MS. 1005, in the Harleian Collection, which MS. belonged to the family of Bacon of Redgrave, and afterward to Dr. Stillingfleet, Bishop of Worcester; whence Bishop Tanner[1] refers to it under the title "Registrum de Bury, MS. Stillingfleet."

The description which the learned Wanley gives of this Chronicle, in his Catalogue of the Harleian MSS. is hardly exact; and his opinion that William de Dice, before-mentioned, was the continuator of the Chronicle from the commencement of the Episode on Henry de Essex, is contradicted by the text. Our author, relating[2] the translation of the body of St. Edmund in 1198, names William de Dice as one of the twelve monks, including the two Chaplains of the Abbot, selected to be present; the writer at the same time telling us the part he himself

[1] Bib. Brit. [2] Chron. p. 83.

took on the occasion. Beside, a comparison of the text will shew, that the hand which sketched the character of Samson the Abbot and other officers of the Monastery, in the early part of the narrative, is the same that pourtrayed Herebert, the prior, in the last pages.

The MS. of which we annex a fac-simile, is of the end of the 13th, or the beginning of the 14th century, and at first sight would seem to be executed by more than one scribe; but perhaps it is the same handwriting throughout, which grows gradually larger in the progress of the copy.

In publishing this Chronicle for the first time, we have thought it best to adhere to the orthography of the MS., at the same time freeing the text from the contractions. Occasionally, at the foot of our pages, we have noted errors of the scribe, or attempted to supply defects; adding often the references to the scriptural or classical allusions of the text. All the dates in the margin are our own; and, where necessary, we have given the proof in our Notes to the volume. We have also added a Glossary.

The seal of Abbot Samson, which forms the subject of our *Frontispiece*, is from an instrument in the Archives of Christ Church, Canterbury, dated 6 November, 1200, being an award in a matter of dispute between the Archbishop of Canterbury and Canons of Lambeth, referred by Pope Innocent III. to Hugh Bishop of Lincoln, (for

whom Roger, Dean of Lincoln, was substituted) Eustace Bishop of Ely, and the Abbot of St. Edmund's.[1]

The *Tail-piece*, representing the Standard of St. Edmund, is from Lydgate, the monk of Bury's, Life and Miracles of the Saint in the Harleian Collection.

[1] Hoveden, 458. Diceto, col. 708.

Cronica Jocelini de Brakelond

Que vidi et audivi scribere curavi.
Quedam mala interserens ad
cautelam. Quedam bona ad usum.
que contigerunt in ecclesia sancti Edmundi
in diebus meis ab anno quo Flandrenses
capti sunt extra villam. quo habitum
religionis suscepi. Quo anno Hugo
prior depositus est. et R. prior substitutus.

*Fol. 121*

Abbas Samson mediocris erat
stature fere omnino calvus. vultum
habens nec rotundum nec oblongum.
naso eminente. labiis grossis.
oculis cristallinis et penetrantis
intuitus. auribus clarissimi auditus
superciliis in altum crescentibus et
sepe tonsis.

*Fol. 130*

Audite celi que loquar
audiat terra facinus Sansonis
abbatis. Igitur appropinquante
festo sancti Edmundi politi sunt la-
pides marmorei.

*Fol. 1[illegible]*

# CRONICA
## JOCELINI DE BRAKELONDA.

[MS. Harl. 1005, Fol. 121.]

Quod vidi et audivi scribere curavi, quedam mala interserens ad cautelam, quedam bona ad usum, que contigerunt in ecclesia Sancti Ædmundi in diebus nostris, ab anno quo Flandrenses capti sunt extra villam, quo habitum religionis suscepi, quo anno Hugo prior depositus est et R.[1] prior substitutus. Tunc temporis senuit Hugo abbas, et aliquantulum caligaverunt oculi[2] ejus; homo pius et benignus, monachus religiosus et bonus, sed nec bonus nec providus in secularibus exercitiis: qui nimis confidebat suis et nimis eis credebat, de alieno pocius quam de proprio pendens consilio. Ordo quidem et religio fervebant in claustro, et ea que ad ordinem spectant; set exteriora male tractabantur, dum quisque, serviens sub domino simplice et jam senescente, fecit quod voluit, non quod decuit. Dabantur ville abbatis et omnes hundredi ad firmam; nemora destruebantur; domus maneriorum minabantur ruinam; omnia de die in diem in deteriorem statum vertebantur. Unicum erat refugium et consolacionis remedium abbati, denarios appruntare; ut saltem sic honorem domus sue posset sustentare. Non erat terminus Pasce nec Sancti Michaelis octo annis ante obitum ejus, quin centum libre vel ducente ad minus crescerent in debitum; semper renovabantur carte, et usura

A. D. 1173.

[1] Robertus. [2] Genes. xxvii. 1.

que excrevit vertebatur in katallum. Descendebat hec infirmitas a capite in membra, a prelato in subjectos. Unde contigit quod quilibet obedientiarius haberet sigillum proprium, et debito se obligaret tam judeis quam christianis pro voluntate sua. Sepe cappe serice, et ampulle auree, et alia ornamenta ecclesie impignorabantur, inconsulto conventu. Vidi cartam fieri Willelmo filio Isabel mille librarum et xl; sed nec causam nec originem scivi. Vidi et aliam cartam fieri Isaac, filio Raby Joce, cccc. librarum, sed nescio quare. Vidi et terciam cartam fieri Benedicto judeo de Norwico, octies c. librarum et quater viginti; et hec fuit origo et causa hujus debiti. Destructa fuit camera nostra, et recepit eam Willelmus sacrista volens vel nolens, ut eam instauraret; et occulte appruntavit a Benedicto judeo xl. marcas ad usuram, et ei fecit cartam signatam quodam sigillo quod solebat pendere ad feretrum sancti Ædmundi, unde gilde et fraternaciones solebant sigillari, quod postea sed tarde fractum est, jubente conventu. Cum autem crevisset debitum illud usque ad c. libras, venit judeus portans literas domini regis de debito sacriste; et tunc demum patuit quod latuit abbatem et conventum. Iratus autem abbas voluit deponere sacristam, pretendens privilegium domini pape, ut posset deponere Willelmum sacristam suum, quando vellet. Venit autem aliquis ad abbatem, et, loquens pro sacrista, ita circumvenit abbatem,
F. 121 *v.* quod passus est cartam fieri Benedicto judeo cccc. librarum, reddendarum in fine iiij^or^ annorum, scilicet pro c. libris que jam excreverant in usuram, et aliis c. libris quas idem judeus commodavit sacriste ad opus abbatis. Et sacrista suscepit omne debitum illud reddendum in pleno capitulo, et facta est carta sigillo conventus signata, abbate dissimulante et sigillum suum non apponente, tanquam illud debitum non pertineret ad illum. In fine vero quatuor annorum non erat unde illud debitum posset reddi; et facta est nova carta octies c. librarum et quater viginti librarum, reddendarum ad terminos statutos, annis singulis quater xx. librarum. Habuit et idem judeus plures alias cartas de minoribus debitis, et aliquam cartam que erat xiiij annorum, ita quod summa debiti illius

judei erat mille et cc. librarum, preter usuram que excreverat. Veniensque R. elemosinarius domini regis significavit domino abbati rumorem talem venisse ad regem de tantis debitis. Et inito consilio cum priore et paucis aliis, ductus est elemosinarius in capitulum; nobisque assidentibus et tacentibus, dixit abbati: "Ecce elemosinarius regis, dominus et amicus noster et vester, qui, ductus amore Dei et sancti Ædmundi, nobis ostendit dominum regem quoddam sinistrum audisse de nobis et vobis, et res ecclesie male tractari et interius et exterius. Et ideo volo et precipio in vi obedientie, ut dicatis et cognoscatis palam qualiter res se habeant." Surgens ergo prior et loquens, quasi unus pro omnibus,[1] dixit ecclesiam in bono statu esse, et ordinem bene et religiose observari interius, et exteriora bene et discrete tractari, debito tamen aliquantulo obligatos nos esse sicut ceteros vicinos nostros, nec esse aliquod debitum quod nos gravaret. Audiens hoc, elemosinarius dixit se valde letum esse ex hoc quod audierat testimonium conventus, id est, prioris sic loquentis. Hec eadem verba respondit prior alia vice, et magister Galfridus de Constantino, loquentes et excusantes abbatem, quando Ricardus archiepiscopus jure legatie venit in capitulum nostrum, antequam talem exempcionem haberemus sicut nunc habemus. Ego vero tunc temporis novicius, data opportunitate, magistrum meum super hiis conveni, qui me docebat ordinem et cujus custodie deputatus fui, scilicet, magistrum Sampsonem, postea abbatem. "Quid est," inquam, "quod audio? Ut quid taces qui talia vides et audis, tu qui claustralis es, nec obedientias cupis, et Deum times magis quam hominem?" At ille respondens, ait: "Filii[2] mi, puer noviter conbustus timet ignem; ita est de me et pluribus aliis. Hugo prior noviter depositus est de prioratu suo, et in exilium missus; Dionisius et H. et R. de Hingham[3] de exilio nuper domum redierunt. Ego similiter incarceratus fui, et postea apud Acram missus, quia locuti sumus pro communi bono ecclesie nostre contra voluntatem

[1] Corinth. v. 14. [2] Fili? [3] Hugo et Rogerus de Hingham sive Hingeham, ut in pag. 36 reperitur.

F. 122. abbatis. Hec est hora tenebrarum [1]; hec est hora qua adulatores dominantur et eis creditur: confortata est potentia eorum, nec possumus ad eam.[2] Dissimulanda sunt ista pro tempore: videat Dominus et judicet."[3]

Venit rumor ad abbatem H.[4] quod R.[5] archiepiscopus Cantuariensis vellet venire ad scrutinium faciendum in ecclesia nostra, auc-
A. 1176. toritate legatie sue; et, accepto consilio, misit abbas Romam et impetravit exempcionem a potestate predicti legati. Redeunte nuntio ad nos de Roma, non erat unde solvi poterat quod ipse promiserat domino pape et cardinalibus, nisi, ex circumstantiis, crux que erat super magnum altare, et Mariola, et Johannes, quas imagines Stigandus archiepiscopus magno pondere auri et argenti ornaverat, et sancto Ædmundo dederat. Dixerunt etiam quidam ex nostris qui abbatem familiarius diligebant, quod ipsum feretrum sancti Ædmundi deberet excrustari propter talem libertatem, non advertentes magnum periculum posse nasci de tali libertate; quod, si forte fuerit aliquis abbas noster qui res ecclesie voluerit dilapidare et conventum suum male tractare, non erit persona cui conventus possit conqueri de injuriis abbatis, qui nec episcopum, nec archiepiscopum, nec legatum timebit, et impunitas ausum prebebit delinquendi.

In diebus illis celerarius, sicut ceteri officiales, appruntavit denarios a Jurneto judeo, inconsulto conventu, super cartam supradicto sigillo signatam. Cum autem excrevit[6] debitum usque ad sexaginta libras, summonitus est conventus ad solvendum debitum celerarii. Depositus est celerarius; licet allegaret gravamen suum, dicens quod susceperat tribus annis hospites omnes in domo hospitum ad preceptum abbatis, sive abbas fuerit presens sive absens, quos debeat suscipere abbas secundum consuetudinem abbatie. Substitutus est magister Dionisius, qui per providenciam suam et cautelam minoravit debitum lx. librarum usque ad xxx. libras; de quo debito reddidimus xxx$^{ta}$ marcas, quas Benedictus de Blakeham dedit conventui pro maneriis Neutone et

[1] Luc. xx. 53. [2] Psalm. cxxxviii. 6. Vulg. Lat. [3] Exod. v. 21.
[4] Hugonem. [5] Ricardus. [6] Excrevisset.

Wepstede tenendis: sed carta judei usque hodie remansit apud judeum, in qua continentur xxvi. libre de katallo et de debito celerarii.

Tercio die postquam magister Dionisius fuit celerarius, ducti sunt tres milites cum armigeris suis usque in domum hospitum, ut ibi reficerentur, abbate domi existente et in talamo suo residente. Quod cum audisset magnanimus ille Eacides, nolens pendere in bailiva sua, sicut ceteri, surrexit et accepit claves cellarii, et ducens secum milites illos usque in aulam abbatis, veniensque ad abbatem, dixit: "Domine, bene novistis quod consuetudo abbatie est, ut milites et laici recipiantur in curia vestra, si abbas F. 122 *v.*
domi fuerit; nec volo nec possum recipere hospites qui ad vos pertinent. Alioquin, accipite claves cellarii vestri, et alium constituite celerarium pro beneplacito vestro." Audiens hoc abbas, volens vel nolens recepit illos milites, et semper postea milites et laicos recepit secundum antiquam consuetudinem; et adhuc recipiuntur, abbate domi existente.

Volens aliquando abbas Hugo magistrum Sampsonem conciliare sibi in gratiam, subsacristam eum constituit; qui sepius accusatus, sepius de officio in officium est translatus; quandoque factus est magister hospitum, quandoque pitentiarius, quandoque tercius prior, et iterum subsacrista; et multi ei adversabantur qui postea ei adulabantur. Ille vero aliter agens quam ceteri officiales, nunquam ad adulandum flecti potuit; unde dicebat abbas suis familiaribus, se nunquam vidisse talem hominem, quem non posset converti ad suam voluntatem, preter Sampsonem subsacristam.

Venit abbati Hugoni in mentem, anno vicesimo tercio abbatie sue, adire sanctum Thomam orandi gratia; arreptoque in itinere, 1180.
in crastino nativitatis sancte Marie prope Rouecestriam[1] misera- 9 Sept.
biliter cecidit, ita quod patella tibie de proprio loco exivit et resedit in poblete. Occurrerunt medici, et eum multis modis cruciabant, sed non sanabant. Reportatus est ad nos in feretro equitario, et devote susceptus, sicut decuit. Quid multa?[2] conputruit

[1] Rochester. [2] Horat. 1 Sat. 6. 82.

crux[1] ejus, et ascendit dolor usque ad cor, et ex dolore arripuit eum febris terciana, et in quarta accessione expiravit; et animam reddidit
15 Nov. Deo in crastino sancti Bricii. Antequam mortuus esset, distracta fuerunt omnia a servientibus suis, ita quod nichil omnino in domibus abbatis remanserat, nisi tripodes et mense que asportari non poterant. Vix abbati remanserant coopertorium suum et due stragule que veteres erant et fracte, quas aliquis apposuerat qui integras abstulerat. Non erat aliquid ad precium unius denarii quod possit distribui pauperibus pro anima ejus. Sacrista dicit[2] non pertinere ad eum ut hoc faceret, dicens se expensas abbati et familie sue invenisse per mensem integrum; quia nec firmarii, qui villas tenebant, volebant aliquid dare ante tempus constitutum, nec creditores volebant aliquid commodare, videntes eum infirmum usque ad mortem. Quinquaginta tamen solidos invenit firmarius de Palegrava ad distribuendum pauperibus; hac ratione, quia firmam de Palegrava intravit illa die. Sed illi quinquaginta solidi erant postea redditi iterum bailivis regis, firmam integram exigentibus ad opus regis.

Sepulto abbate Hugone, decretum est in capitulo, ut aliquis nunciaret Ranulfo de Glanvill, justiciario Anglie, mortem abbatis. Magister Sampson et Magister R. Ruffus, monachi nostri, cito
F. 123. transfretaverunt, nunciantes hoc idem domino regi, et impetraverunt literas, ut res et redditus conventus, qui separati sunt a rebus et redditibus abbatis, essent integre in manu prioris et conventus, et reliqua pars abbacie esset in manu regis. Data est custodia abbacie Roberto de Cokefeld, et R.[3] de Flamville senescallo, qui statim omnes famulos abbatis et parentes ejus, quibus abbas aliquid donaverat, postquam infirmus fuerat, vel qui aliquid de rebus abbatis abstulerant, posuerunt per vadium et plegios, et etiam capellanum abbatis, monachum nostrum, quem prior plegiavit; et intrantes vestiarium nostrum omnia ornamenta ecclesie in chirographo subscribi fecerunt.

Vacante abbatia, prior super omnia studuit ad pacem conser-

[1] crus. [2] dixit? [3] Roberto.

vandam in conventu, et ad honorem ecclesie conservandum in hospitibus suscipiendis, neminem volens turbare, neminem ad iracundiam provocare, ut omnes et omnia in pace posset conservare; dissimulans tamen quedam corrigenda de obedientiariis nostris, et maxime de sacrista, tanquam non curaret quid ipse ageret de sacristia, qui, tempore quo abbatia vacavit, nec debitum aliquod adquietavit, nec aliquid edificavit; sed oblationes et obventiones stulte distrahebantur. Unde prior, qui caput conventus erat, pluribus videbatur vituperandus, et remissus dicebatur. Et hoc memorabant fratres nostri inter se, quando perventum fuit ad faciendam electionem abbatis.

Celerarius noster omnes hospites, cujuscumque conditionis essent, suscepit ad expensas conventus.

Willelmus sacrista ex sua parte dabat et expendebat; homo benignus, dans danda et non danda, oculos omnium excecans muneribus.[1]

Sampson subsacrista, magister super operarios, nichil fractum, nichil rimatum, nichil fissum, nichil inemendatum reliquit pro posse suo; unde conventum et maxime claustrales sibi conciliavit in gratiam. In diebus illis chorus noster fuit erectus, Samsone procurante, historias picture ordinante, et versus elegiacos dictante. Attractum fecit magnum de lapidibus et sabulo ad magnam turrim ecclesie construendam. Et interrogatus unde denarios haberet ad hoc faciendum, respondit quosdam burgenses dedisse ei occulte pecuniam ad turrim edificandam et perficiendam. Dicebant tamen quidam fratres nostri, quod Warinus monachus noster, custos feretri, et Samson subsacrista communi consilio surripuerunt, quasi furtive, porcionem aliquam de oblationibus feretri, ut eam in usus necessarios ecclesie, et nominatim ad edificationem turris, expenderent; hac ratione ducti, quia videbant quod oblationes in F. 123 *v.*
usus extraordinarios expendebantur ab aliis, qui, ut verius dicam, eas furabantur. Et ut tam felicis furti sui suspicionem tollerent prenominati duo viri, truncum quendam fecerunt, concavum, et

[1] Deuteron. xvi. 19.

perforatum in medio vel in summo, et obseratum sera ferrea; et erigi fecerunt in magna ecclesia, juxta hostium extra chorum in communi transitu vulgi, ut ibi ponerent homines elemosinam suam ad edificationem turris.

Willelmus vero sacrista socium suum Sampsonem suspectum habuit, et multi alii qui partem ejusdem Willelmi fovebant, tam christiani quam judei. Judei, inquam, quibus sacrista pater et patronus dicebatur; de cujus protectione gaudebant, et liberum ingressum et egressum habebant, et passim ibant per monasterium, vagantes per altaria et circa feretrum, dum missarum celebrarentur sollemnia: et denarii eorum in thesauro nostro sub custodia sacriste reponebantur, et, quod absurdius est, uxores eorum cum parvis suis in pitanceria nostra tempore werre hospitabantur.

Accepto itaque consilio qualiter irruerent in Samsonem inimici vel adversarii ejus, convenerunt Robertum de Cokefeld et socium ejus, qui custodes erant abbacie, et induxerunt eos ad hoc quod illi prohibuerant ex parte regis, ne aliquis aliquod opus vel aliquod edificium faceret, quamdiu abbacia vacaret; sed pocius denarii ex oblacionibus colligerentur et conservarentur ad faciendam solucionem alicujus debiti. Et sic illusus est Samson, et recessit ab eo fortitudo ejus[1]; nec de cetero aliquid operari potuit, sicut voluit. Potuerunt quidem adversarii ejus rem differre, sed non auferre; quia resumptis viribus suis, et subversis duobus columpnis,[2] id est, remotis duobus custodibus abbacie quibus aliorum malitia innitebatur, dedit ei Dominus, processu temporis, potestatem perficiendi votum suum ut predictam turrim edificaret, et pro desiderio suo consummaret. Et factum est ac si ei divinitus diceretur: "Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa, &c."[3]

Vacante abbatia, sepe, sicut decuit, rogavimus Dominum et sanctum martirem Ædmundum, ut nobis et ecclesie nostre congruum darent pastorem, singulis ebdomadibus ter cantantes vii psalmos penitentiales prostrati in choro, post exitum in capitulo:

1 Jud. xvi. 17, 19. 2 Jud. 29, 30. 3 Matt. xxv. 21.

et erant aliqui, quibus si constaret quis futurus esset abbas, non ita devote orassent. De eligendo abbate, si rex nobis liberam concederet electionem, diversi diversis modis loquebantur, quidam publice, quidam occulte; et "quot homines tot sententie.[1]" Dixit quidam de quodam: "Ille, ille frater, bonus monachus est, probabilis persona; multum scit de ordine et consuetudinibus ecclesie: licet non sit tam perfectus philosophus sicut quidam alii, bene F. 124. potest esse abbas. Abbas Ordingus homo illiteratus fuit, et tamen fuit bonus abbas et sapienter domum istam rexit: legitur etiam in fabulis, melius fuit ranis eligere truncum in regem, super quem confidere possent, quam serpentem, qui venenose sibilaret, et post sibilum subjectas devoraret." Respondit alter: "Quomodo potest hoc fieri? quomodo potest facere sermonem in capitulo, vel ad populum diebus festivis, homo qui literas non novit? quomodo habebit scientiam ligandi et solvendi,[2] qui scripturas non intelligit? cum sit ars artium, scientia scientiarum, regimen animarum. Absit ut statua muta erigatur in ecclesia sancti Ædmundi, ubi multi literati viri et industrii esse dinoscuntur."

Item dixit alius de alio: "Ille frater vir literatus est, eloquens et providus; rigidus in ordine; multum dilexit conventum, et multa mala pertulit pro bonis ecclesie: dignus est ut fiat abbas." Respondit alter: "A bonis clericis libera nos, Domine[3]: ut a baratoribus de Norfolchia nos conservare digneris, te rogamus, audi nos.[4]" Item dixit quidam de quodam: "Ille frater bonus husebondus est: quod probatur ex warda sua, et ex obedienciis quas bene servavit, et edificiis et emendacionibus quas fecit. Multum potest laborare et domum defendere, et est aliquantulum clericus, quamvis nimie litere non faciant eum insanire[5]: ille dignus est abbatia." Respondit alter: "Nolit Deus ut homo, qui non potest legere, nec cantare, nec divina officia celebrare, homo improbus et injustus, et excoriator pauperum hominum, fiat abbas." Item dixit aliquis de aliquo: "Ille frater homo benignus est,

[1] Terent. Phorm. Act. 2. sc. 3. 14. [2] Matt. xvi. 19. [3] Litania communis.
[4] Ibid. [5] Act. Apost. xxvi. 24, 25.

affabilis et amabilis, pacificus et compositus, largus et liberalis, vir literatus et eloquens, et satis idonea persona in vultu et in gestu, et a multis dilectus intus et extra; et talis homo ad magnum honorem ecclesie posset fieri abbas, si Deus vellet." Respondit alter: "Non honor esset sed onus de homine qui nimis delicatus est in cibo et potu; qui virtutem reputat multum dormire; qui multum scit expendere et parum adquirere; qui stertit quando ceteri vigilant; qui semper vult esse in abundantia, nec curat de debitis que crescunt de die in diem, nec de expensis unde adquietari possint; solicitudinem et laborem odio habens, nihil curans, dummodo unus dies vadat et alter veniat: homo adulatores et mendaces diligens et fovens: homo alius in verbo et alius in opere. A tali prelato defendat nos Dominus." Item dixit quidam de socio suo: "Ille vir fere sapientior est omnibus nobis, et in secularibus et in ecclesiasticis; vir magni consilii, rigidus in ordine, literatus et eloquens et personalis stature: talis prelatus
F. 124 r. decet ecclesiam nostram." Respondit alter: "Verum est, si esset rate et probate opinionis. Fama ejus laborat, que forte mentitur forte non mentitur; et licet ille homo sapiens sit, humilis in capitulo, devotus in psalmis, rigidus in claustro, dum claustrale[1] est, ex consuetudine tamen habet: quod si preest in obedientia aliqua, nimis indignans est, monachos parvipendens, seculares homines familiarius diligens, et, si iratus fuerit, vix aliquid verbum ultro alicui fratri respondere,[2] nec etiam interroganti." Audivi scilicet alium fratrem reprobatum a quibusdam, quia impeditioris lingue fuerat; de quo dicebatur quod habebat pastum vel draschium in ore suo, cum loqui deberet. Et ego quidem, tunc temporis juvenis, sapiebam ut juvenis, loquebar ut juvenis,[3] et dixi quod non consentirem alicui ut fieret abbas, nisi sciret aliquid de dialectica, et sciret discernere verum a falso. Item dixit quidam, qui sibi videbatur sapiens: "Stultum et idiotam pastorem tribuat nobis omnipotens Dominus, ut necesse sit ei se adjuvare de nobis." Audivi scilicet quendam virum, industrium, et literatum, et nobilitate

[1] Claustralis? [2] Respondens. [3] Corinth. xiii. 11.

generis splendidum, reprobatum esse a quibusdam prioribus nostris hac causa, quia novicius erat. Novicii dicebant de prioribus suis, quod senes valitudinarii erant et ad abbatiam regendam minus idonei. Et ita multi multa loquebantur, et unusquisque abundabat in suo sensu.[1] Vidi Samsonem subsacristam assidentem (quoniam hujusmodi conventiculis[2] tempore minucionis, quo tempore claustrales solent alternatim secreta cordis revelare, et adinvicem conferre), vidi eum assidentem et subridentem et tacentem, et singulorum verba notantem, et aliquam ex prescriptis sententiis in fine xx annorum memorantem. Quo audiente, solebam respondere ita judicantibus, dicens, quod, si debemus expectare ad eligendum abbatem donec inveniamus aliquem qui sine omni reprehensione et macula fuerit, nunquam talem inveniemus, quia nemo sine crimine vivit, et nichil omni parte beatum.[3] Quodam tempore non potui cohibere spiritum meum quin precipitarem sententiam meam, putans me loqui fidis auribus, et dixi quendam indignum abbatia, qui me multum dilexerat prius, et multa bona contulerat; et alium dignum duxi, et nominavi aliquem, quem minus diligebam. Loquebar secundum conscientiam meam, considerans pocius communem utilitatem ecclesie quam meam promocionem: et verum dixi; quod sequentia probaverunt. Et ecce unus ex filiis Belial[4] dictum meum revelavit benefactori meo et amico; ob quam causam, usque ad hodiernum diem nunquam postea nec prece nec precio potui recuperare gratiam ejus ad plenum. Quod dixi, dixi.[5]

Et semel emissum volat irrevocabile verbum.[6]

Unum restat; quod caveam mihi de cetero, et, si tamdiu vixero F. 125.
ut videam abbatiam vacare, videbo quid, cui, et quando loquar de tali materia, ne vel Deum offendam mentiendo, vel hominem importune loquendo. Ad consilium meum tum erit, si duravero, ut aliquem eligamus non multum bonum monachum, non multum sapientem clericum, nec nimis idiotam, nec nimis dissolutum; ne si nimis sapiat, de se et de proprio sensu nimis confidat et alios

[1] Rom. xiv. 5. [2] *sic.* [3] Horat. Carm. lib. II, 16.
[4] Reg. I. 16. x. 27. [5] Joan. xix. 22. [6] Horat. I. Epist. xviii.

vilipendat; vel si nimis brutescat, in opprobrium aliis fiat. Scio quis dixerit: "medio tutissimus ibis[1];" et illud, "medium tenuere beati." Vel forte, sanius consilium erit omnino tacere, ut dicam in corde meo: "Qui potest capere, capiat."[2]

Vacante abbatia perhendinavit Augustinus archiepiscopus Norweie apud nos in domibus abbatis, habens per preceptum regis singulis diebus x. solidos de denariis abbatie; qui multum valuit nobis ad habendam liberam electionem nostram, testimonium perhibens de[3] bono, et publice protestans coram rege
1181. quod viderat et audierat. Eodem tempore fuit sanctus puer
10 Jun. Robertus martirizatus, et in ecclesia nostra sepultus, et fiebant prodigia et signa multa in plebe,[4] sicut alibi scripsimus.

1182. Feb. Post mortem Hugonis abbatis, peracto anno cum tribus mensibus, precepit dominus rex per literas suas, ut prior noster et duodecim de conventu, in quorum ore universitatis concordaret sententia, apparerent die statuto coram eo, ad eligendum abbatem. In crastino post suscepcionem literarum, convenimus in capitulo de tanto tractaturi negocio. In primis lecte sunt litere domini regis in conventu; postea rogavimus et oneravimus priorem in periculo anime sue, ut xii secundum conscientiam suam nominaret secum ducendos, de quorum vita et moribus constaret eos a recto nolle deviare. Qui petitis annuens, dictante Spiritu Sancto, sex ex una parte chori et sex ex altera nominavit, et sine contradictione nobis satisfecit. A dextro choro fuerunt Galfridus de Fordham, Benedictus, magister Dionisius, magister Samson subsacrista, Hugo tercius prior, et magister Hermerus, tunc temporis novicius: a sinistro, Willelmus sacrista, Andreas, Petrus de Broc, Rogerus celerarius, magister Ambrosius, magister Walterus medicus. Unus autem dixit: "Quid fiet si isti tredecim non possunt coram rege concordare in abbate eligendo?" Respondit quidam: "Quia hoc erit nobis et ecclesie nostre in opprobrium sempiternum."[5] Voluerunt ideo plures ut electio fieret domi antequam ceteri recederent, ut per hanc providentiam non fieret dissensio coram rege; sed illud

1 Ovid. Metam. 11. 137. 2 Matt. xix. 12. 3 Joan. xviii. 23.
4 Act. Apost. v. 12. 5 Jerem. xxiii. 40.

nobis videbatur stultum et dissonum facere sine regis assensu, quia nondum constabat nobis posse impetrare a domino rege ut liberam electionem haberemus. Samson subsacrista in spiritu F. 125 *v.*
loquens :[1] "Fiat," inquid, "media via, ut hinc et inde periculum evitetur. Eligantur quatuor confessores de conventu et duo ex senioribus prioribus de conventu bone opinionis, qui, visis sacrosanctis, tactis evangeliis, inter se eligant tres viros de conventu, ad hoc magis idoneos juxta regulam sancti Benedicti, et eorum nomina in scriptum redigant, et scriptum sub sigillo includant, et sic inclusum committatur nobis ituris ad curiam; et cum venerimus coram rege, et constiterit nobis de libera electione habenda, tunc demum frangatur sigillum, et sic certi erimus qui tres nominandi erunt coram rege. Et constiterit nobis[2] si dominus rex noluerit concedere nobis unum de nostris, reportetur sigillum integrum et sex juratoribus tradatur, ita quod secretum illorum imperpetuum celatur in periculum animarum suarum." Huic consilio omnes adquievimus, et nominati sunt quatuor confessores; scilicet Eustachius, Gilbertus de Alueth, Hugo tercius prior, Antonius, et alii duo senes, Turstanus et Rualdus. Quo facto, exivimus cantantes, "Verba mea,[3]" et remanserunt predicti sex habentes regulam sancti Benedicti pre manibus, et negocium sicut prefinitum fuerat impleverunt. Dum illi sex hoc tractabant, nos de diversis eligendis diversa putabamus, habentes tamen omnes quasi pro certo Samsonem esse unum ex tribus, attendentes labores ejus et pericula mortis versus Romam pro bonis ecclesie nostre, et qualiter tractus et compeditus et incarceratus erat ab H.[4] abbate, loquens pro communi utilitate; qui nec sic flecti potuit ad adulandum, licet cogi potuit ad tacendum. Facta autem mora, vocatus conventus rediit in capitulum. Et dixerunt senes se fecisse secundum quod preceptum eis fuerat. Tunc prior quesivit, quid fuerit si dominus rex nollet aliquem ex illis tribus in scriptis recipere: et responsum est, quod quemcunque vellet dominus rex suscipere, susciperetur, unus modo esset processus ecclesie

[1] Corinth. xii. 3. [2] *sic.* [3] Psalmum, scilicet quintum, (secund. Vulg.) qui sic incipit. [4] Hugone.

nostre. Adjectum est etiam quod, si illi tredecim fratres viderent aliquid in alio scripto quod emendari deberet, secundum Deum de communi assensu vel consilio emendarent. Samson subsacrista sedens ad pedes prioris dixit: "Ecclesie expedire si omnes juraremus in verbo veritatis, ut super quemcumque sors electionis caderet conventum rationabiliter tractaret, nec capitales obedienciales mutaret sine assensu conventus, nec sacristam gravaret, nec aliquem monacaret sine voluntate conventus;" et hoc ipsum concessimus, omnes dextras erigentes in signum concessionis. Provisum est quod, si dominus rex vellet aliquem extraneum abbatem facere, non reciperetur a tredecim nisi per consilium fratrum domi remanencium.

In crastino igitur iter arripuerunt illi tredecim versus curiam. Postremus omnium fuit Samson provisor expensarum, quia subsacrista erat, circa collum scrinium portans, quo litere conventus continebantur, quasi omnium minister solus, et, sine
F. 126. armigero, froggum suum in ulnis bajulans, curiam exivit, socios sequens a longe. In itinere versus curiam convenientibus fratribus in unum, dixit Samson bonum esse ut jurarent omnes, ut quicunque fieret abbas, redderet ecclesias de dominiis conventus in usum hospitalitatis; quod omnes concesserunt preter priorem, qui dixit: "Satis juravimus; tantum potestis gravare abbatem, quod ego non curabo abbatiam." Et hac occasione non juraverunt; et hoc bene actum est, quia si hoc esset juratum, non esset observatum. Eodem die quo tredecim recesserunt, sedentibus nobis in claustro, dixit Willelmus de Hastinga unus ex fratribus nostris: "Scio quod habebimus abbatem unum de nostris;" et interrogatus quomodo hoc sciret, respondit, se vidisse in sompnis prophetam albis indutum stantem pre foribus monasterii, et se quesisse in nomine Domini utrum haberemus abbatem aliquem de nostris. Et respondit propheta: "Habebitis unum de vestris, sed seviet inter vos ut lupus." Cujus somnii significatio secuta in parte, quia futurus abbas studuit magis timeri quam amari, sicut plures dicebant. Assedit et alius

frater, Ædmundus nomine, asserens quod Samson futurus esset abbas, et narrans visionem quam proxima nocte viderat. Dixit se vidisse in sompnis R.[1] celerarium et H.[2] tercium priorem stantes ante altare, et Sampsonem in medio, eminentem ab humeris supra, pallio circumdatum longo et talari, ligato in humeris ejus, et stantem quasi pugilem ad duellum faciendum. Et surrexit sanctus Eadmundus de feretro, sicut ei sompnianti visum fuerat, et quasi languidus pedes et tibias nudas exposuit, et accedente quodam et volente operire pedes sancti, dixit sanctus: "Noli accedere. Ecce! ille velabit mihi pedes," pretendens digitum versus Samsonem. Hec est interpretatio sompnii:—Per hoc quod pugil videbatur, significatur quod futurus abbas semper in labore existens,[3] quandoque movens controversiam contra archiepiscopum Cantuariensem de placitis corone, quandoque contra milites Sancti Eadmundi pro scutagiis integre reddendis, quandoque cum burgensibus pro purpresturis in foro, quandoque cum sochemannis pro sectis hundredorum; quasi pugil volens pugnando superare adversarios, ut jura et libertates ecclesie sue posset revocare. Velavit autem pedes sancti martiris, quando turres ecclesie a centum annis inceptas perfecte consummavit. Hujusmodi sompnia sompniabant fratres nostri, que statim divulgabantur primo per claustrum, postea per curiam, ita quod ante vesperam publice dicebatur in plebe, ille et ille et ille electi sunt, et unus eorum erit abbas.

Prior autem et xii cum eo post labores et dilaciones multas tandem steterunt coram rege apud Waltham, manerium Wintoniensis episcopi, secunda dominica quadragesime. Quos dominus rex 1182.
benigne suscepit, et asserens se velle secundum Deum agere et ad 21 Feb.
honorem ecclesie nostre, precepit fratribus per internuncios, scilicet, Ricardum episcopum Wintoniensem et G.[4] cancellarium, postea archiepiscopum Eboracensem, ut nominarent tres de con- F. 126 *v.*
ventu nostro. Prior vero et fratres se divertentes, quasi inde collocuturi, extraxerunt sigillum et fregerunt et invenerunt hec nomina sub tali ordine scripta,—Samson subsacrista, R.[5] celerarius, Hugo

1 Rogerum. 2 Hugonem. 3 Existeret? 4 Galfridum. 5 Rogerus.

tercius prior. Erubuerunt inde fratres qui majoris dignitatis erant. Mirabantur etiam omnes eundem Hugonem esse electorem et electum. Quia tamen rem mutare non poterant, ordinem nominum de communi consilio mutaverunt, pronuntiando primum H.[1] quia tercius prior erat; secundo R.[2] celerarium; tercio Samsonem, facientes verbo tenus novissimum primum et primum novissimum.[3] Rex vero, primo querens an nati essent in sua terra, et in cujus dominio, dixit se non nosse eos, mandans ut cum illis tribus alios tres nominarent de conventu. Quo concesso, dixit W.[4] sacrista: "Prior noster debet nominari, quia caput nostrum est:" quod cito concessum est. Dixit prior: "W.[5] sacrista bonus vir est." Similiter dictum est de Dionisio, et concessum est. Quibus nominatis coram rege sine omni mora, mirabatur rex, dicens: "Cito fecerunt isti. Deus est cum eis." Postea mandavit rex ut propter honorem regni sui nominarent tres personas de aliis domibus. Quo audito, timebant fratres suspicantes dolum. Tandem consilium inierunt ut nominarent tres, sed sub condicione, scilicet, ut nullum reciperent nisi per consilium conventus qui domi fuit. Et nominaverunt tres, magistrum Nicholaum de Waringeford, postea ad horam abbatem de Malmsberi; et Bertrandum priorem Sancte Fidis,[6] postea abbatem de Certeseia; et dominum H. de Sancto Neoto, monachum de Becco, virum admodum religiosum et in temporalibus et spiritualibus admodum circumspectum. Quo facto, mandavit rex, gratias agens, ut tres removerentur de novem, et statim remoti sunt alieni tres, scilicet prior Sancte Fidei, postea Certeseiensis abbas, et Nicholaus monachus Sancti Albani, postea abbas Malmsberiensis, et prior Sancti Neoti. Willelmus sacrista sponte cessit; remoti sunt duo ex quinque per preceptum regis; et postea unus ex tribus, et remanserunt tum duo, scilicet, prior et Samson. Tunc tandem vocati sunt ad consilium fratrum prenominati internuntii domini regis. Et loquens Dionisius, unus pro omnibus, cepit commendare personas prioris et Samsonis, dicens utrumque eorum literatum, utrumque

1 Hugonem. 2 Rogerum. 3 Marc. x. 31. Mat. xix. 30. 4 Willelmus.
5 Willelmus. 6 Fidei?

bonum, utrumque laudabilem vite et integre opinionis, sed semper in angulo sui sermonis Samsonem protulit, multiplicans verba in laudem ejus, dicens eum esse virum rigidum in conversacione, severum in corrigendis excessibus, et aptum ad labores, et in secularibus curis prudentem, et in diversis officiis probatum. Respondit Wintoniensis: "Bene intelligimus quod vultis dicere; ex verbis vestris conjicimus quod prior vester vobis videtur aliquantulum remissus, et illum qui Samson dicitur vultis habere." Respondit Dionisius: "Uterque bonus est, sed meliorem vellemus habere si Deus vellet." Cui episcopus: "Duorum bonorum magis bonum eligendum est: dicite aperte, vultis habere Samsonem?" Et responsum est precise a pluribus et a majori parte, "Volumus Samsonem," nullo reclamante, quibusdam tamen tacentibus ex F. 127.
industria, nec hunc nec illum offendere volentibus. Nominato Samsone, coram domino rege, et habito brevi consilio cum suis, vocati sunt omnes, et dixit rex: "Vos presentastis mihi Samsonem: non novi eum: si presentaretis[1] mihi priorem vestrum, illum reciperem[2] quem vidi et agnovi; sed modo faciam quod vultis. Cavete vobis; per veros oculos Dei, si male feceritis, ego me capiam ad vos." Et interrogavit priorem si assentiret, et hoc vellet; qui respondit se hoc velle, et Samsonem multo majore dignum honore. Electus igitur, ad pedes regis procidens et deosculans, festinanter surrexit et festinanter ad altare tetendit, cantando: "Miserere mei Deus,[3]" cum fratribus, erecto capite, vultu non mutato. Quod cum rex vidisset, dixit astantibus: "Per oculos Dei, iste electus videtur sibi dignus abbatie custodiende." Hujus electionis rumor cum ad conventum perveniret, omnes claustrales vel fere omnes, et quosdam obedienciales, sed paucos, letificavit: "Bene," multi dicebant, "quia bene est." Alii dicebant quod "non; imo, omnes seducti sumus.[4]" Electus, antequam rediret ad nos, benedictionem suam accepit a domino Wintoniensi, qui in eadem hora 1182. 28 Feb.
mitram capiti abbatis imponens et annulum digito, ait: "Hec est

1 Præsentassetis? 2 Recepissem? 3 Psalm. L. Vulg. 4 Esd. ii. c. i. 7.

dignitas abbatum sancti Eadmundi: diu est ex quo scivi hoc." Abbas itaque tres monachos secum retinens, alios domum premisit, nuncians adventum suum Dominica Palmarum, quibusdam commendans curam ad providenda necessaria in die festi sui. Redeunti multitudo novorum parentum occurrit, volentium ei servire; qui omnibus respondit, se esse contentum servientibus prioris, nec alios posse retinere, donec inde consuluisset conventum suum. Unum tamen militem retinuit eloquentem et juris peritum, non tantum consideratione proximitatis, sed ratione utilitatis, causis quidem secularibus assuetum; quem suscepit in novitate sua quasi coadjutorem in mundanis controversiis, quia novus abbas erat, et rudis in talibus, sicut ipsemet protestatus est: quia nunquam ante susceptam abbatiam loco interfuit ubi datum esset vadium et plegium. Cum debito honore et etiam processione
121 Mar. receptus est a conventu suo, Dominica Palmarum.

Susceptus est autem dominus abbas hoc modo: proxima nocte jacuerat apud Chenteford,[1] et accepta temporis opportunitate, ivimus contra eum solempniter, post exitum de capitulo, usque ad portam cimiterii, sonantibus campanis in choro et extra. Ipse vero multitudine hominum constipatus, videns conventum, descendit de equo extra limen porte, et faciens se discalciari, intra portam nudipes susceptus est, priore et sacrista hinc et inde ducentibus eum. Nos vero cantavimus responsoria, "Benedictus
F. 127 v. Dominus,[2]" de Trinitate: et post, "Martiri adhuc,[3]" de sancto Eadmundo: ducentes abbatem usque ad magnum altare. Quibus peractis, siluerunt et organa et campane, et dicta oratione a priore, "Omnipotens sempiterne Deus, misere huic,"[4] &c. super abbatem prostratum, et facta oblacione ab abbate, et deosculato feretro, rediit in chorum, et ibi recepit eum Samson cantor per manum, et duxit usque ad sedem abbatis ad occidentalem partem, ubi, eo stante, in directum incepit cantor: "Te Deum laudamus;" quod

[1] Kentford. [2] Respons. ad matutinas in festo S. Trinit. post ii. lect.
[3] Respons. ad matut. in festo S. Edmundi post vi. lect. [4] Collect. Missæ Votivæ lxxi. in Sacrament. Gregor.—Liturgia Romana Vetus. Muratori, tom. ii. p. 90.

dum decantabatur, deosculatur a priore et a toto conventu per ordinem. Quibus expletis, ivit abbas in capitulum, sequente conventu et multis aliis. Dicto autem "Benedicite," in primis gratias egit conventui quod eum, ut aiebat, minimum eorum, non suis meritis, sed sola Dei voluntate, in dominum et pastorem elegerunt. Rogansque breviter ut orarent pro eo, convertit sermonem ad clericos et milites, rogans, ut eum consulerent ad solicitudinem commissi regiminis. Et respondens Wimerus vicecomes pro omnibus, dixit: "Et nos parati sumus vobis consistere in consilio et auxilio omnibus modis, sicut caro domino quem Dominus vocavit ad honorem suum et ad honorem sancti martiris Eadmundi." Et deinde extracte sunt carte regis, et lecte in audientia de donacione abbatie. Facta autem oratione ab ipso abbate, ut ei Deus consuleret secundum gratiam suam, et responso "amen" ab omnibus, ivit in talamum suum, diem festivum agens cum plus quam mille comedentibus, in gaudio magno.

Quando hec fiebant, eram capellanus prioris, et infra quatuor menses capellanus abbatis factus, plurima notans et memorie commendans. In crastino ergo festi sui, convocavit priorem et alios quosdam paucos, quasi consilium ab aliis querens: ipse enim sciebat quid esset facturus.[1] Dixit novum sigillum esse faciendum, et cum mitra esse pingendum, licet predecessores sui tale non haberent: sigillo autem prioris nostri hucusque usus fuerat, singulis literis in fine subscribens, quod proprium sigillum non habuit, unde et sigillo prioris oportuit uti ad tempus. Postea disponens domui sue,[2] diversos famulos diversis officiis deputavit, dicens se precogitasse viginti sex equos in curia sua habendos; et ad plus asserens, "puerum prius repere, postea firmius stare et ire:" hoc super omnia famulis precipiens, ut caverent ne in novitate sua possit infamari avaritia cibi vel potus, sed hospitalitatem domus solicite procurarent. In his et in omnibus rebus agendis et constituendis de Dei auxilio et proprio sensu plenius confidens, inglorium duxit de alieno pendere consilio, tanquam ipse sibi sufficeret. Mirabantur monachi, indignabantur milites; dampnantes F. 128.

1 Joan. vi. 6. 2 Domum suam.

eum arrogantia, et quodammodo infamantes eum apud curiam regis, et dicentes quia nollet operari secundum consilium suorum liberorum hominum. Ipse magnates abbatie, tam laicos quam literatos, sine quorum consilio et auxilio abbatia videbatur non posse regi, omnes a privato suo elongavit consilio; et hac occasione Ranulfus de Glanvill, justiciarius Anglie, primo eum suspectum habebat, et minus propicius ei erat quam deceret, donec ei certis indiciis constaret abbatem tam in interioribus quam exterioribus negociis provide et prudenter agere.

Facta summonicione generali, conveniunt omnes barones et
1 Apr. milites et liberi homines ut facerent homagium quarto die Pasce: et ecce! Thomas de Hastinga, cum magna multitudine militum, ducens Henricum nepotem suum nondum militem, clamans senescaldiam cum consuetudinibus suis, sicut carta ejus loquitur. Quibus abbas statim respondit: "Henrico non nego jus suum, nec negare volo. Si sciret in propria persona mihi servire, concederem ei et decem hominibus et octo equis necessaria in mea curia, sicut carta ejus loquitur: si presentetis mihi senescaldum, vicarium ejus, qui sciat et possit senescaldiam regere, recipiam eum in tali statu, sicut predecessor meus eum habuit die quo fuit vivus et mortuus, scilicet cum iiij^or equis et pertinenciis. Quod si nolueritis, pono loquelam coram rege vel coram capitali justicia." Quo dicto, cepit res dilacionem: postea presentatus est ei quidam senescaldus simplex et idiota, Gilbertus nomine, quem antequam suscepisset, dixit familiaribus suis: "Si defectus fuerit de justitia regis servanda per inscientiam senescaldi, ipse erit in misericordia regis et non ego, quia senescaldiam vendicat sibi jure hereditario: et ideo ad presens malo istum recipere, quam alium magis argutum ad me decipiendum. Ego mihi ero senescaldus cum auxilio Dei."

Post homagia suscepta, petivit abbas auxilium a militibus, qui promiserunt ab unoquoque xx solidos; sed in instanti inierunt consilium, et retraxerunt duodecim libras de duodecim militibus, dicentes, quod illi xii debent adjuvare alios xl et ad wardas faciendas et ad scutagia, similiter et ad auxilium abbatis. Quod cum

abbas audisset, iratus est, et dixit familiaribus suis, quod, si posset vivere, redderet eis vicem pro vice et gravamen pro gravamine. Post hec, per unumquodque manerium abbatie fecit abbas inquiri annuos census liberorum hominum, et nomina rusticorum, et eorum tenementa, et singulorum servicia, et in scriptum omnia redigi. Aulas autem veteres et domos confractas, per quas milvi et cornices volabant, reformavit; capellas novas edificavit, et talamos F. 128, *v.* et solia pluribus locis, ubi nunquam fuerunt edificia, nisi horrea solummodo. Plures etiam parcos fecit, quos bestiis replevit, venatorem cum canibus habens; et, superveniente aliquo hospite magni nominis, sedebat cum monachis suis in aliquo saltu nemoris, et videbat aliquando canes currere; sed de venatione nunquam vidi eum gustare. Plura etiam assartavit et in agriculturam reduxit; in omnibus utilitati abbatie prospiciens: sed utinam super maneriis conventus commendandis consimili studio vigilaret. Maneria tamen nostra de Bradefeld et Rutham[1] recepit ad tempus in manu sua, implens defectus firmarum per expensam xl librarum, que postea resignavit nobis, audito quod murmur erat in conventu ex hoc quod maneria nostra tenuit in manu sua. Eisdem etiam maneriis et omnibus aliis regendis, tam monachos quam laicos sapientiores prioribus custodibus constituit, qui et nobis et terris nostris consultius providerent. Octo etiam hundredos[2] in manu sua, et post mortem Roberti de Cokefeld recepit hundredum de Cosford, quos omnes servientibus suis de mensa sua custodiendos tradidit; que majoris questionis erant ad se referens, et que minoris per alios terminans, et singula ad suum commodum retorquens. Facta, eo jubente, descriptio generalis per hundredos de letis et sectis, de hidagiis et fodercorn, de gallinis reddendis, et aliis consuetudinibus et redditibus et exitibus, qui in magna parte semper celati fuerant per firmarios, et omnia redegit in scriptum, ita quod, infra iiij^or annos ab electione sua, non erat qui posset eum decipere de redditibus abbatie ad valentiam unius denarii, cum de abbatia custodienda nullum scriptum a predecessoribus suis recepisset,

[1] Rougham. [2] "Tenuit" desiderari videtur.

nisi sedulam parvam, qua continebantur nomina militum Sancti Eadmundi et nomina maneriorum, et que firma quam firmam sequi deberet. Hunc autem librum vocavit Kalendarium suum, quo etiam inscribebantur singula debita que adquietaverat; quem librum fere cotidie inspexit, tanquam ibi consideraret vultum probitatis sue in speculo.

Prima die qua tenuit capitulum, confirmavit nobis novo sigillo suo lx solidos de Suthreia,[1] quos predecessores sui injuste receperant primo ab Eadmundo, aureo monacho dicto, ut posset tenere eandem villam ad firmam omnibus diebus vite sue. Et proposuit edictum ut nullus de cetero ornamenta ecclesie invadiaret sine assensu conventus, sicut solebat fieri, nec aliqua carta sigillaretur sigillo conventus nisi in capitulo coram conventu; et fecit Hugonem subsacristam, statuens ut Willelmus sacrista nichil omnino ageret de sacristia, nec in receptis nec in expensis, nisi per assensum ejus. Posthec, sed non eodem die, antiquos custodes oblacionum transtulit ad alia officia. Postremo ipsum W. deposuit; unde quidam diligentes Willelmum dicebant: "Ecce abbas! ecce lupus de quo sompniatum est! ecce qualiter sevit:" et voluerunt facere quidam conspirationem contra abbatem. Quod cum
F. 129. abbati revelatum esset, volens nec omnino tacere nec conventum turbare, intravit capitulum in crastino, extrahens sacculum plenum cartis cancellatis adhuc sigillis pendentibus, scilicet, predecessoris sui, et partim prioris, partim sacriste, partim camerarii, et aliorum officialium, quarum summa erat trium millium librarum et lii, et una marca de pura sorte, preter usuram que excreverat, cujus magnitudo nunquam sciri poterat: de quibus omnibus pacem fecerat infra annum post electionem suam, et infra xii annos omnia adquietavit. "Ecce," inquit, "sapientia sacriste nostri Willelmi! Ecce tot carte sigillo ejus signate, cum quibus impignoraverat cappas sericas, dalmaticas, turribula argenti, et textus aureos, sine conventu, que omnia adquietavi et vobis reconsignavi:" et multa alia adjecit, ostendens quare deposuerat W.; precipuam tamen causam

[1] Southrey.

subticuit, nolens eum scandalizare. Et cum substituisset Samsonem cantorem, nobis omnibus placentem et omni exceptione majorem, in pace facta sunt omnia. Abbas vero domos sacriste in cimiterio funditus precepit erui, tanquam non essent digne stare super terram, propter frequentes bibationes et quedam tacenda, que nolens et dolens viderat quando fuit subsacrista; et ita omnia complanari fecit, quod infra annum, ubi steterat nobile edificium, vidimus fabas pullulare, et ubi jacuerant dolia vini, urticas abundare.

Post clausum Pasche ivit abbas per singula maneria sua et nostra, et per illa que confirmavimus in feudum firmariis, poscens ab omnibus et a singulis auxilium et recognicionem secundum consuetudinem regni; cotidie seculari scientia proficiens, et ad exteriora negocia discenda et promovenda animum convertens. Cum autem venisset apud Werketunam,[1] et nocte dormisset, venit ei vox, dicens: "Samson, surge velociter,[2]" et iterum, "Surge, nimis moraris;" et surgens stupefactus, circumquaque respexit, et vidit lumen in domo necessaria, candelam scilicet, paratam cadere super stramen, quam Reinerus monachus ibi per incuriam reliquerat. Quam cum abbas extinxisset, pergens per domum percepit ostium, quod unicum erat, ita obseratum quod aperiri non potuit nisi per clavem, et fenestras strictas, ita quod, si ignis excrevisset, ipse et omnes sui qui in solio illo dormierant extincti essent; quia non erat locus ubi exire vel quo effugere possent. Quocunque ibat abbas, tunc temporis, occurrebant tam judei quam christiani exigentes debita, turbantes et anxiantes eum, ita quod sompnum amittebat, pallidus et macilentus effectus, et dicens, quod "nunquam cor meum quietum erit, donec finem debiti mei sciero." Veniente festo sancti Michaelis, omnia maneria sua in manu sua recepit cum parvis admodum implementis et paucis instauramentis; Waltero de Hatfeld condonatus xix libras de firmis preteritis, ut libere reciperet iiij^or maneria que abbas H.[3] ei confirmaverat tenenda, scilicet Haregrava et Saxham et Cheventona et Stapelford: Herlavam[4] autem distulit abbas recipere hac occasione.

1 Warkton. 2 Act. Apost. xii. 7. 3 Hugo. 4 Harlow.

F. 129, *v.* Cum forte transitum faceremus in redeundo de Lundonia per forestam, domino abbate audiente, quesivi a vetula transeunte cujus hoc nemus esset, et de qua villa, et quis dominus, vel quis custos? et respondit, quia nemus erat abbatis Sancti Eadmundi, de villa de Herlava, et quod Arnaldus dictus esset custos ejus. De quo cum quererem, qualiter se haberet versus homines ville, respondit, quia demon vivus fuerat, inimicus Dei et excoriator rusticorum; sed timet modo novum abbatem Sancti Eadmundi, quem sapientem et cautelem credit esse, et ideo tractat homines pacifice. Quo audito, factus est abbas hillaris, et manerium recipere distulit ad tempus.

Ex insperato venit tunc temporis rumor de morte uxoris Herlewini de Rung,[1] que cartam ad tenendam eandem villam in vita sua habebat; et dixit abbas: "Heri dedissem lx marcas ad liberandum illud manerium; modo liberavit illud Dominus." Cumque sine omni dilacione illuc venisset et recepisset villam in manu sua, et in crastino isset Tilleneriam, membrum illius manerii, venit quidam miles offerens xxx marcas, ut posset tenere illam carucatam terre cum pertinenciis per antiquum servicium, scilicet iiij libras; quod noluit abbas: et habuit inde illo anno xxv libras, secundo anno xx libras. Hec et consimilia fecerunt eum omnia tenere in manu sua; scilicet quod alibi legitur: "Omnia Cesar erat."[2] Ille vero non segniter agens, horrea et boverias edificare cepit in primis; ad wainandas terras super omnia excolendas sollicitus, et ad boscos custodiendos vigilans, super quibus dandis vel minuendis ipse seipsum profitebatur avarum. Unum solum manerium de Torp[3] carta sua confirmavit cuidam Anglico natione, glebe ascripto, de cujus fidelitate plenius confidebat quia bonus agricola erat, et quia nesciebat loqui Gallice.

Nondum transierant vii menses post electionem suam, et ecce! offerebantur ei litere domini pape constituentes eum judicem de causis cognoscendis, ad que exequenda rudis fuit et inexercitatus, licet liberalibus artibus et scripturis divinis imbutus esset, utpote

1 Rungton. 2 Lucan. lib. iii. 108. 3 Thorp.

vir literatus, in scholis nutritus et rector scholarum, in sua provincia notus et approbatus. Vocavit proinde duos clericos legis peritos, et sibi associavit, quorum consilio utebatur in ecclesiasticis negociis, decretis et decretalibus epistolis operam prebens, cum hora dabatur; ita quod infra breve tempus, tum librorum inspectione, tum causarum exercitio, judex discretus haberetur, secundum formam juris in jure procedens: unde quidam ait, "Maledicta sit curia istius abbatis, ubi nec aurum nec argentum mihi prodest ad confundendum adversarium meum!" Processu temporis, in causis secularibus aliquantulum excercitatus, naturali ratione ductus, tam subtilis ingenii erat quod omnes mirabantur, et ab Osberto filio Hervei subvicecomite dicebatur: "Iste abbas disputator est; si procedit sicut incipit, nos omnes excecabit quotquot sumus." Abbas vero in hujusmodi causis approbatus, factus est F. 130.
justiciarius errans, sed ab errore et devio se custodiens. Verum "summa petit livor."[1] Cum homines sui conquererentur ei in curia Sancti Ædmundi, quia nolebat precipitare sententiam nec credere omni spiritui,[2] sed ordine judiciario procedere, sciens quod merita causarum parcium assercione panduntur, dicebatur quod nolebat facere justiciam alicui conquerenti, nisi interventu pecunie date vel promisse; et quia erat ei aspectus acutus et penetrans, et frons Catonis, raro blandiens, dicebatur magis declinare animum severitati quam benignitati; et, in misericordiis accipiendis pro aliqua forisfactura, dicebatur judicium superexaltare misericordiam[3] quia, sicut visum fuit pluribus, cum perventum erat ad denarios capiendos raro remittebat quod juste accipi potuit. Sicut profecit sapientia, ita et providentia in rebus custodiendis et augendis et in expensis honorifice faciendis; sed et hic multi detractores oblectaverunt, dicentes, quia accepit de sacristia quod voluit, propriis parcens denariis, permittens bladum suum jacere usque ad tempus care vendicionis, et jacens ad maneria sua aliter quam predecessores sui, onerans celerarium hospitibus ab abbate pocius suscipiendis, per quod abbas posset dici sapiens et instauratus et

[1] Ovid. Remed. Am. 369. [2] Epist. 1 Joan. IV. i. [3] Jac. Epist. Cath. II. 13.

providus in fine anni; conventus vero et obedienciales inscii et improvidi haberentur. Ad has detractiones solebam respondere, quod si de sacristia aliquid accipit, ad utilitatem ecclesie illud convertit; et hoc nullus invidus negare potuit. Et ut verum fatear, multo majora et plura bona fuerunt patrata ex oblacionibus sacristie, infra xv. annos post electionem suam, quam quadraginta annis ante. Aliis objectionibus, quod abbas jacebat ad maneria sua, respondere solebam et excusabam dicens, quia abbas magis est letus et hilaris alibi quam domi; et hoc utique verum fuit, vel propter conquerencium multitudinem qui occurrebant, vel propter rumorum relatores, unde sepius contigit quod, propter exhibicionem rigidi vultus sui, ab hospitibus suis multum perdidit favoris et gratie, licet eis in cibo et potu satisfecerit. Ego vero hoc attendens, nacta opportunitate, astans ei a secretis dixi: "Duo sunt que multum miror de vobis;" et cum quesisset que duo: "Unum est, quod adhuc in tali statu fovetis sententiam Meludinensium[1] dicentium ex falso nichil sequi, et cetera frivola." Quibus cum ipse respondisset quod voluit, adjeci ego: "Aliud nimirum est quod domi non exhibetis vultum propicium sicut alibi, nec inter fratres[2] qui vos diligunt et dilexerunt et in dominum sibi eligerunt, sed raro estis inter eos, nec tunc congaudetis eis, sicut dicunt." Quibus auditis, vultum mutavit, et demisso capite respondit: "Stultus es et stulte loqueris. Scire deberes quod Salomon ait: "Filie tibi
F. 130 *v.* sunt multe: vultum propicium ne ostendas eis.[3] " Ego vero tacui, de cetero ponens custodiam ori meo. Alia tamen vice dixi: "Domine, audivi te in hac nocte post matutinas vigilantem et valde suspirantem contra morem solitum." Qui respondit: "Non est mirum; particeps es bonorum meorum in cibo et potu, et equitaturis, et similibus, sed parum cogitas de procuracione domus et familie, de variis et arduis negociis cure pastoralis, que me sollicitant, que animum meum gementem et anxium faciunt." Quibus respondi, elevatis manibus ad celum: "Talem anxietatem[4] mihi, omnipotens et misericors Dominus." Audivi abbatem dicentem, quod

1 Melundinensium?  2 "Manetis" desiderari videtur.  3 Ecclesiastic. vii. 26.
4 "Aufer" desideratur.

si fuisset in eo statu quo fuit antequam monacharetur, et habuisset v. vel sex marcas redditus cum quibus sustentari possit in scholis, nunquam fieret monachus nec abbas. Alia vice dixit cum juramento, quod, si prescivisset que et quanta esset sollicitudo abbatie custodiende, libentius voluisset fieri magister almarii et custos librorum, quam abbas et dominus. Illam utique obedienciam dixit pre omnibus aliis se semper desiderasse. Et quis talia crederet? Vix ego; nec etiam ego, nisi quia, cum eo vj annis existens die ac nocte, vite scilicet meritum et sapientie doctrinam plenius agnoscerem. Narravit aliquando, quod, cum esset puer ix annorum, somniavit se stare pre foribus cimiterii ecclesie Sancti Eadmundi, et diabolum expansis ulnis velle eum capere; sed sanctus Eadmundus, prope astans, recepit eum in brachiis suis; cumque clamaret somniando, "Sancte Ædmunde, adjuva me," quem nunquam prius audierat nominari, expergefactus est. Mater vero ejus de tanto et tali clamore obstupuit, que, audito somnio, duxit eum ad sanctum Eadmundum orationis gratia; cumque venissent ad portam cimiterii, dixit, "Mater mea, ecce locus! ecce eadem porta, que in somnis vidi, quando diabolus volebat me accipere:" et cognovit locum, ut aiebat, ac si prius eum carnalibus oculis vidisset. Abbas ipse exposuit somnium; significans per diabolum voluptatem hujus seculi que eum volebat allicere, sed sanctus Eadmundus eum amplexatus est, quando eum monachum ecclesie sue fieri voluit.

Quodam tempore cum nuntiatum esset ei quod quidam de conventu murmurassent de quodam facto ejus, dixit mihi assidenti: "Deus, Deus," inquit ille, "multum expedit mihi memorare somnium illud quod somniatum est de me antequam fierem abbas, scilicet quod sevirem ut lupus. Certe hoc est quod super omnia mundana timeo, ne conventus meus aliquid faciat, unde me sevire oporteat; sed ita est, cum dicunt vel agunt aliquid contra voluntatem meam; recolo illud somnium, et licet seviam in animo meo, occulte fremens et frendens, vim mihi facio ne seviam verbo vel opere: et,

Strangulat inclusus dolor et cor estuat intus.[1]

[1] Ovid. 5 Trist. El. I, v. 63.

F. 131. Cum autem esset colericus naturaliter, et facile accenderetur ad iram, iram tamen ratione dignitatis cum magna lucta animi refrenabat sepius. De qua etiam re aliquando se jactitabat, dicens: "Hoc et illud vidi, hoc et illud audivi, et tamen patienter sustinui."

Dixit abbas aliquando, sedens in capitulo, quedum verba quibus videbatur efficaciter venari favorem conventus. "Nolo," inquit, "ut aliquis veniat ad me ad accusandum alium, nisi palam idem dicere voluerit; quod si aliquis aliter fecerit, nomen accusantis palam manifestabo. Volo etiam ut quilibet claustralis liberum habeat accessum ad me, ut mecum loquatur de necessitate sua quando voluerit." Illud autem dixit quia magnates nostri, tempore H.[1] abbatis, volentes nichil agi in monasterio nisi per eos, decreverunt nullum monachum claustralem debere loqui cum abbate, nisi prius ostenderet capellano abbatis quid et de quare vellet loqui cum abbate.

Quodam die jussit in capitulo, ut quicumque sigillum proprium haberet, ei redderet; et ita factum est, et inventa sunt triginta tria sigilla. Racionem hujus precepti ipse ostendit, prohibens ne aliquis officialis appruntaret aliquod debitum ultra xx solidos, sine assensu prioris et conventus, sicut solebat fieri. Priori vero et sacriste reddidit sigilla sua, et cetera retinuit. Alia die, jussit sibi dari omnes claves cistarum et almariorum et hanepariorum, prohibens ne de cetero aliquis haberet cistam nec aliquid obseratum, nisi per licentiam, nec alias aliquid possideret, nisi quod regula permitteret. Cuilibet tamen nostrum generaliter dedit licentiam habendi denarios usque ad duos solidos, si forte nobis caritative darentur; ita tamen ut in pauperes parentes vel in pios usus expenderentur. Alia vice, dixit abbas se velle conservare antiquas consuetudines nostras de hospitibus suscipiendis; scilicet, quando abbas est domi ipse recipiet omnes hospites cujuslibet condicionis, preter viros religiosos, et preter presbiteros secularis habitus, et preter eorum homines, qui per eos se advocaverunt ad portam curie; si vero abbas non fuerit domi, omnes hospites cujuslibet condicionis

1 Hugonis.

recipientur a celerario usque ad tredecim equos. Si vero laicus vel clericus venerit cum pluribus equis quam tredecim, recipientur a servientibus abbatis, vel intra curiam vel extra, ad expensas abbatis. Omnes viri religiosi, etiam episcopi, si ipsi forte fuerint monachi, pertinent ad celerarium et ad expensas conventus, nisi abbas voluerit eum honorare, et ad expensas suas in sua aula recipere.

Abbas Samson mediocris erat stature, fere omnino calvus, vultum habens nec rotundum nec oblongum, naso eminente, labiis grossis, oculis cristallinis et penetrantis intuitus, auribus clarissimi auditus, superciliis in altum crescentibus et sepe tonsis; ex parvo frigore cito raucus; die electionis sue quadraginta et septem annos F. 131 *v.*
etatis habens, et in monachatu decem et septem annos; paucos canos habens in rufa barba, et paucissimos inter capillos nigros, et aliquantulum crispos; sed infra $\text{xiiii}^{or}$ annos post electionem suam totus albus efficitur sicut nix; homo supersobrius, nunquam desidiosus, multum valens, et volens equitare vel pedes ire, donec senectus prevaluit, que talem voluntatem temperavit; qui, audito rumore de capta cruce et perdicione Jerusalem, femoralibus 1187. 29 Sep.
cilicinis cepit uti, et cilicio loco staminis, et carnibus et carneis abstinere; carnes, tamen, voluit sibi anteferri sedens ad mensam, ad augmentum scilicet elemosine. Lac dulce et mel et consimilia dulcia libentius quam ceteros cibos comedebat. Mendaces et ebriosos et verbosos odio habuit; quia virtus sese diligit, et aspernatur contrarium. Murmuratores cibi et potus, et precipue monachos murmuratores condempnans, tenorem antiquum conservans quem olim habuit dum claustralis fuit: hoc autem virtutis in se habuit quod nunquam ferculum coram eo positum voluit mutare. Quod cum ego novicius vellem probare si hoc esset verum, forte servivi in refectorio, et cogitavi penes me ut ponerem coram eo ferculum quod omnibus aliis displiceret in disco nigerrimo et fracto. Quod cum ipse vidisset, tanquam non videns erat; facta autem mora, penituit me hoc fecisse, et statim, arrepto disco, ferculum et discum mutavi in melius et asportavi: ille vero

emendacionem talem moleste tulit iratus et turbatus. Homo erat eloquens, Gallice et Latine, magis rationi dicendorum quam ornatui verborum innitens. Scripturam Anglice scriptam legere novit elegantissime, et Anglice sermocinari solebat populo, sed secundum linguam Norfolchie, ubi natus et nutritus erat, unde et pulpitum jussit fieri in ecclesia et ad utilitatem audiencium et ad decorem ecclesie. Videbatur quoque abbas activam vitam magis diligere quam contemplativam, qui bonos obedienciales magis comendavit quam bonos claustrales; et raro aliquem propter solam scientiam literarum approbavit, nisi haberet scientiam rerum secularium; et cum audiret forte aliquem prelatum cedere oneri pastorali et fieri anachoritam, in hoc eum non laudavit. Homines nimis benignos laudare noluit, dicens: "Qui omnibus placere nititur, nulli placere debet." Primo ergo anno suscepte abbatie omnes adulatores quasi odio habuit, et maxime monachos; sed in processu temporis videbatur eos quasi libentius audire et magis familiares habere. Unde contigit quod, cum quidam frater noster, hac arte peritus, curvasset genua ante eum, et sub optentu consilii dandi auribus ejus adulacionis oleum infudisset, subrisi ego stans a
F. 132. longe: eo vero recedente, vocatus et interrogatus quare riserim, respondi, mundum plenum esse adulatoribus. Et abbas: "Fili mi, diu est quod adulatores novi, et ideo non possum adulatores non audire. Multa sunt simulanda et dissimulanda, ad pacem conventus conservandam. Audiam eos loqui, sed non decipient me, si possum, sicut predecessorem meum, qui consilio eorum ita inconsulte credidit, quod diu ante obitum suum nichil habuit quod manducaret vel ipse vel familia sua, nisi a creditoribus mutuo acceptum; nec erat quod distribui potuit pauperibus die sepulture ejus, nisi quinquaginta solidos, qui recepti erant a Ricardo firmario de Palegrava, hac occasione quod eadem die intravit firmam de Palegrava; quos denarios idem Ricardus alia vice reddidit bailivis regis, integram firmam exigentibus ad opus regis." His dictis confortatus fui. Ille vero studuit disciplinatam domum habere, et familie magnitudinem sed necessariam,[1] providens sibi quod

[1] *sic.*

firma ebdomade, que predecessori suo non sufficiebat ad expensam v. dierum, ei suffecit octo diebus, vel novem, vel decem, si esset ad maneria sua sine magno adventu hospitum. Singulis vero ebdomadis, computacionem expense sue domus audiebat, non per vicarium, sed in propria persona, quod antecessor ejus nunquam solebat facere. Septem annis primis quatuor fercula[1] in domo sua, postea nisi tria, preter xenia et preter venacionem de parcis suis, vel pisces de vivariis suis. Et si forte aliquem retinuit ad tempus in domo sua prece alicujus potentis vel alicujus familiaris, vel nuncios, vel citharedos, vel aliquem hujusmodi, nacta opportunitate transfretandi vel longe eundi, a talibus superfluis se prudenter exoneravit. Monachos vero, quos socios abbas habuit ante abbatiam susceptam magis dilectos et magis familiares, raro promovit ad obediencias occasione pristine familiaritatis, nisi essent idonei; unde quidam ex nostris, qui ei erant propicii ad eligendum eum abbatem, dixerunt eum minus quam deceret diligere eos, qui eum antequam fuerat abbas dilexerant, et eos plus ab eo amari, qui eum et aperte et occulte depravaverunt, et eum hominem iracundum, non socialem, paltenerium et baratorem de Norfolch, etiam in audientia multorum, publice nominaverunt. Verum, sicut ille pristinis amicis suis nihil amoris vel honoris indiscrete exhibuit post suscepcionem abbatie, sic et pluribus aliis pro meritis suis nichil rancoris vel odii exhibuit, bonum aliquando reddens pro malo, et benefaciens persequentibus eum. Habuit etiam in consuetudine quiddam quod nunquam vidi hominem habere, scilicet quod multos affectuose F. 132 *v.*
dilexit, quibus nunquam vel raro vultum amoris exhibuit; hoc quod vulgus clamat, dicens, "ubi amor ibi oculus." Et aliud mirum fuit, quod dampnum suum in temporalibus a servientibus suis scienter sustinuit, et se sustinere confessus est: set, sicut credo, hoc fuit in causa, ut congruum tempus expectaret quo rem consultius emendaret, vel ut majus dampnum dissimulando evitaret.

Parentes suos mediocriter dilexit, nec minus vero tenere sicut alii solent; quia nullum infra tercium gradum habuit, vel habere simu-

[1] "Sumpsit" desiderari videtur.

lavit. Sed audivi eum dicentem quod habuit parentes nobiles et generosos, quos nunquam imperpetuum ut parentes cognosceret; quia, ut aiebat, plus essent ei oneri quam honori, si hoc scirent; sed eos voluit consanguineos habere qui eum consanguineum habuerunt quando fuit pauper claustralis. Quosdam eorum (eos secundum quod sibi utiles et idoneos estimavit) diversis officiis in domo sua, quosdam villis custodiendis, deputavit. Quos autem infideles probavit, a se elongavit, sine spe redeundi. Quendam hominem medie manus, qui patrimonium ejus fideliter servaverat, et ei juveni devote servierat, pro caro consanguineo habuit, et filio ejus clerico primam ecclesiam in abbatia sibi commissa vacantem dedit, et ceteros filios ejus omnes promovit. Capellanum quendam, qui eum sustinuerat in scholis Parisius questu aque benedicte, quando pauper fuerat, mandari fecit, et ei ecclesiasticum beneficium quo sustentari possit, affectu vicario, contulit. Cuidam servienti predecessoris sui victum et vestitum concessit omnibus diebus vite sue, qui imposuerat ei conpedes ad preceptum domini sui, quando fuit positus in carcere. Filio Elie, pincerne Hugonis abbatis, facienti ei homagium de terra patris sui, dixit in plena curia: "Distuli jam capere homagium tuum vij. annis de terra quam H.[1] abbas dedit patri tuo, quia illud donum erat in detrimentum aule de Elmeswell: modo victus sum, memor beneficii quod pater tuus mihi fecit quando in vinculis eram, quia misit mihi porcionem de ipso vino, quod dominus suus biberat, mandando ut confortarer in Deo." Magistro Waltero, filio magistri Willelmi de Dice, petenti caritative vicariam ecclesie de Cheventona, respondit: "Pater tuus magister scholarum erat; et cum pauper clericus eram, concessit mihi introitum schole sue sine pacto et caritative, et usum discendi; et ego, causa Dei, concedo tibi quod postulas."

Duos etiam milites de Risebi, Willelmum et Normannum, cum judicati essent forte in misericordia ejus, ita allocutus est coram omnibus: "Cum essem monachus claustralis missus Dunelmiam pro negociis ecclesie nostre, et illinc in redeundo per Risebi, ves-

[1] Hugo.

pere obscuro interceptus, petissem hospicium a domino Normanno, F. 133.
omnino repulsam sustinui; domum vero domini Willelmi adiens et hospicium postulans, ab eo honorifice susceptus sum: et ideo xx solidos, scilicet misericordiam, sine misericordia, integram recipiam a Normanno; Willelmo autem gratias ago et debitam miseracionem xx solidorum gratanter remitto."

Quedam juvencula virguncula, hostiatim victum querens, conquesta est abbati, quod unus ex filiis Ricardi filii Drogonis eam vi oppresserat; que tandem, procurante abbate, pro bono pacis unam marcam accepit. Abbas autem iiij$^{or}$ marcas accepit ab eodem R. pro concessione concordie; sed omnes illas v marcas jussit dari statim cuidam mercatori, hoc pacto, ut prefatam pauperculam duceret in uxorem.

In villa Sancti Ædmundi domos lapideas emit abbas, et eas scola- Ante 1198.
rum regimini assignavit, hac occasione, ut pauperes clerici in perpetuum ibi quieti essent de conductione domus, ad quam conducendam denarium vel obolum singuli scolares, tam inpotentes quam potentes, bis in anno conferre cogebantur.

Recuperatio manerii de Mildenhala pro mille marculis argenti et centum, et ejectio judeorum de villa Sancti Ædmundi, et fundatio novi hospitalis de Babbewell, magne probitatis sunt indicia.

Dominus abbas peciit a rege literas ut judei eicerentur a villa Sancti Ædmundi, allegans quod quicquid est in villa Sancti Ædmundi, vel infra *bannamleucam*, de jure Sancti Ædmundi est: ergo, vel judei debent esse homines Sancti Ædmundi, vel de
villa sunt eiciendi. Data est ergo licentia, ut eos eiceret, ita A. 1190.
tamen quod haberent omnia katalla, scilicet et precia domorum suarum et terrarum. Et cum emissi essent, et armata manu conducti ad diversa oppida, abbas jussit sollempniter excommunicari per omnes ecclesias et ad omnia altaria omnes illos, qui de cetero receptarent judeos vel in hospicio reciperent in villa Sancti Ædmundi. Quod tamen postea dispensatum est per justiciarios regis, scilicet, ut si judei venerint ad magna placita abbatis ad exigendum debita sua a debitoribus suis,

sub hac occasione poterunt duobus diebus et ij noctibus hospitari in villa, tercio autem die libere discedent.

1189, Sept. Abbas optulit regi Ricardo quingentas marcas pro manerio de Mildenhala, dicens illud manerium lx librarum et decem, et pro tanto esse rollatum in magna rolla de Wincestria. Et cum ita spem voti sui concepisset, cepit res dilacionem usque in crastinum. Interim venit aliquis dicens regi, manerium illud bene valere c libras. In crastino ergo abbate petitioni sue instante, dixit rex: "Nichil est, domine abbas, quod queris, vel mille F. 133 v. marcas dabis, vel manerium non habebis." Cum autem regina Ellienor secundum consuetudinem regni deberet accipere c marcas ubi rex cepit mille, accepit a nobis calicem magnum aureum in precium c marcarum, et eundem calicem nobis reddidit pro anima domini sui regis Henrici, qui eum primo dederat A. 1193. Sancto Ædmundo. Alia quoque vice, cum thesaurus ecclesie nostre portaretur Lundonias ad redempcionem regis Ricardi, eadem regina eundem calicem adquietavit pro c marcis et nobis reddidit, accipiens cartam nostram a nobis in testimonium promissionis nostre facte in verbo veritatis, quod calicem illum nunquam pro aliquo casu ab ecclesia nostra alienabimus. Cum autem persoluta esset tanta pecunia cum magna difficultate adquisita, sedit abbas in capitulo, dicens se habere aliquam porcionem de tanto questu tanti manerii. Et responsum est a conventu quod hoc justum est, et ad voluntatem vestram fiat. Et dixit abbas, se posse vendicare de jure dimidiam partem, ostendens se plusquam cccc. marcas cum magnis laboribus expendisse, sed dixit se esse contentum quadam porcione illius manerii, que dicitur Ikelingham; quod concessum est ei libentissime a conventu. Abbas vero hoc audiens, dixit: "Et ego illam partem terre recipio ad meum opus, non ut retineam in manu mea, vel ut parentibus meis donem, sed pro anima mea et pro animabus vestris communiter dono illam novo hospitali de Babbewell, in sustentacionem pauperum et A. 1198. usum hospitalitatis." Dixit, et ita factum est, et carta regis postea

confirmatum. Hec et consimilia facta, scriptis et laudibus eternanda, fecit abbas Samson. Nichil tamen se dixit agere, nisi posset facere in diebus suis dedicari ecclesiam nostram; post quod factum, asseruit se velle mori: ad cujus facti sollemnitatem dixit se esse paratum expendere duo milia marcas argenti, dummodo dominus rex ibi esset presens, et res debito honore peragi possit.

Nuntiatum est abbati, quod ecclesia de Wlpet[1] vacaret, Waltero A. 1183.
de Constantiis electo ad episcopatum de Lincolnia. Mox convocavit priorem et magnam partem conventus, et incipiens narrationem suam, et[2] ait: "Bene scitis quod multum laboravi propter ecclesiam de Wlpet, propter quam habendam in proprios usus vestros, iter arripui versus Romam per consilium vestrum, tempore Inter Ann. 1159 et
scismatis inter papam Alexandrum et Octavianum, transivique 1162.
per Italiam, illa tempestate qua omnes clerici qui portabant literas F. 134.
domini pape Alexandri capiebantur, et quidam incarcerabantur, quidam suspendebantur, quidam, truncatis naso et labiis, remittebantur ad papam in dedecus et confusionem ipsius. Ego vero simulavi me esse Scottum, et Scotti habitum induens, et gestum Scotti habens, sepe illis qui mihi illudebant, baculum meum excussi ad modum teli quod vocatur *gaveloc*, de more Scottorum voces comminatorias proferens. Obviantibus et interrogantibus quis essem? nichil respondi, nisi: '*Ride, ride Rome, turne Cantwereberei.*' Sic feci, ut me et propositum meum celarem, tucius et peterem, Scotti sub imagine, Romam. Impetratis autem literis a domino papa pro voto meo, in redeundo transivi per quoddam castellum, sicut via me ducebat ab urbe; et ecce ministri de castro circumdederunt me, capientes et dicentes: 'Iste solivagus, qui Scottum se facit, vel explorator est, vel portitor literarum falsi pape Alexandri.' Et dum perscrutabantur panniculos meos et caligas, et femoralia, et etiam sotulares veteres, quos super humeros portavi ad consuetudinem Scottorum, injeci manum meam in peram quam portavi cuteam, in qua scriptum domini pape continebatur,

[1] Woolpit. [2] *Sic.*

positum sub ciffo parvo, quo bibere solebam: et Domino Deo volente, et sancto Ædmundo, simul extraxi scriptum illud cum ciffo, ita quod, brachium extendens in altum, breve tenui sub ciffo. Ciffum quidem viderunt, sed breve non perceperunt. Et sic evasi manus eorum in nomine Domini. Quicquid monete habui abstulerunt a me, unde oportuit me hostiatim mendicare, sine omni expensa, donec in Angliam venirem. Audiens autem, quod ecclesia illa data esset Galfrido Ridello, contristata est anima mea eo quod in vanum laboravi. Veniens ergo domum, feretro Sancti Ædmundi latenter me supposui, timens ne dominus abbas me caperet, et incarceraret, qui nichil mali merueram; nec erat monachus qui mecum audebat loqui, nec laicus qui mihi auderet victum ministrare, nisi aliquis furtive. Tandem, inito consilio, misit me abbas apud Acram in exilium, ibique diu moram feci. Hec et multa alia mala innumerabilia passus sum propter ecclesiam de Wlpet; sed benedictus Deus, qui omnia cooperat in bonum, Ecce! ecclesia, pro qua tot mala sustinui, data est in manu mea, et nunc potestatem habeo donandi eam ubi voluero, quia vacat. Et ego eam conventui reddo, et in suos proprios usus assigno antiquam consuetudinem vel pensionem x marcarum, quam perdidistis
F. 134 plus quam lx annis. Integram libentius vobis eam darem, si pos-
v. sem; sed scio, quod episcopus Norwicensis mihi contradiceret, vel si hoc concederet, tali occasione subjectionem et obedientiam de vobis sibi vendicaret, quod est inconsultum et inconveniens. Faciamus ergo quod de jure possumus facere; ponamus clericum vicarium, qui episcopo respondeat de spiritualibus, et vobis de decem marcis; et volo, si vos consulitis, ut vicaria illa donetur alicui consanguineo R. de Hengheham, monachi et fratris vestri, qui mihi fuit consors in illo itinere versus Romam, et eisdem periculis expositus et propter idem negocium." His dictis omnes surreximus et gratias egimus; et receptus est Hugo clericus frater predicti Rogeri ad predictam ecclesiam, salva nobis annua pensione x^cem^ marcarum.

In manerio monacorum Cantuariensium, quod dicitur Illegga, et quod est in hundredo abbatis, contigit fieri homicidium. Homines vero archiepiscopi noluerunt pati, ut illi homicide starent ad rectum in curia sancti Ædmundi. Abbas vero conquestus est regi Henrico dicens, quod archiepiscopus Baldewinus vendicabat sibi libertates ecclesie nostre, optentu carte nove quam rex dederat ecclesie Cantuariensi post mortem sancti Thome. Rex autem respondit, se nunquam fecisse cartam aliquam in prejudicium ecclesie nostre, nec aliquid sancto Ædmundo velle auferre, quod habere solebat. Quo audito, dixit abbas consiliariis privatis suis: "Sanius consilium est, ut archiepiscopus conqueratur de me, quam ego de archiepiscopo. Volo me ponere in saisinam hujus libertatis, et post me defendam cum auxilio sancti Ædmundi, cujus jus hoc esse carte nostre testantur." Subito ergo summo mane, procurante Roberto de Cokefeld, missi sunt circiter quater xx homines armati ad villam de Ilegga, et ex inopinato ceperunt illos tres homicidas et ligatos duxerunt ad Sanctum Ædmundum, et in fundum carceris projecerunt. Conquerente inde archiepiscopo, Ranulfus de Glanvilla justiciarius precepit, ut homines illi ponerentur per vadium et plegios ad standum ad rectum in curia qua deberent stare, et summonitus est abbas, ut veniret ad curiam regis, responsurus de vi et injuria, quam dicebatur fecisse archiepiscopo. Abbas vero sine omni exonio se pluries presentavit. Tandem in capite jejunii steterunt coram rege in capitulo Cantuariensi, et lecte sunt palam carte ecclesiarum hinc et inde. Et respondit dominus rex: "Iste carte ejusdem antiquitatis sunt et ab eodem rege Ædwardo emanant. Nescio quid dicam: nisi ut carte ad invicem pugnent."[1] Cui abbas dixit: "Quicquid de cartis dicatur, nos in

circ. 1186.

1187, 11 Feb.

[1] In margine hic legitur nota sequens: "Quia carta quam habemus de sancto Ædwardo antiquior est, quam carta quam habent monachi Cantuarienses. Quia carta, quam habent, non dat eis libertatem, nisi inter homines suos tantum: et carta nostra loquitur de tempore regis Ædwardi et de tempore matris sue regine Emme, que habuit viii hundredos et dimidium in dotem, ante tempora sancti Ædwardi, et Mildenhale insimul."

saisina sumus, et hucusque fuimus, et de hoc ponere me volo in verumdictum duorum comitatuum, scilicet, Norfolchie et Suthfolchie, se hoc concedere.[1]" Sed archiepiscopus Baldwinus, habito prius con-
F. 135. silio cum suis, dixit, homines Norfolchie et Suthfolchie multum diligere Sanctum Ædmundum, et magnam partem illorum comitatuum esse sub dictione abbatis, et ideo se nolle stare illorum arbitrio. Rex vero iratus inde et indignans surrexit, et recedendo dixit: "Qui potest capere capiat[2]:" et sic res cepit dilacionem, "et adhuc sub judice lis est.[3]" Vidi tamen, quod quidam homines monachorum Cantuariensium vulnerati fuerunt, usque ad mortem, a rusticis de villa de Meldingis,[4] que sita est in hundredo Sancti Ædmundi; et quia sciverunt, quod actor forum rei sequi debet, maluerunt silere et dissimulare, quam inde clamorem facere abbati sive baillivis ejus, quia nullo modo voluerunt venire in curiam Sancti Ædmundi ad placitandum. Postea levaverunt homines de Illegga quoddam trebuchet, ad faciendam justiciam pro falsis mensuris panis vel bladi mensurandi, unde conquestus est abbas domino Eliensi episcopo, tunc justiciario et cancellario. Ille vero abbatem audire nolebat, quia dicebatur olfacere archiepiscopatum, qui vaca-
A. 1191. bat tunc temporis. Cum autem venisset apud nos, et susceptus esset ut legatus, antequam recederet, orationem fecit ad feretrum sancti martiris; abbasque, nacta opportunitate, dixit, cunctis audientibus qui aderant: "Domine episcope, libertas, quam sibi vendicant monachi Cantuarienses, est jus sancti Ædmundi, cujus corpus presens est, et quia non vis me adjuvare ad tuendam libertatem ecclesie sue, pono loquelam inter te et ipsum. Ipse de cetero procuret jus suum." Cancellarius nichil dig-
29 Oct. natus est respondere; qui infra annum Angliam exire compulsus est, et divinam ulcionem expertus est. Cum autem idem
A. 1193. cancellarius redisset de Almannia, et applicuisset apud Gippewic, et pernoctasset apud Heggham,[5] venit rumor ad abbatem, quod can-

[1] *Sic.* [2] Matt. xix. 12. [3] Horat. in Ar. Poet. v. 78.
[4] Milding. [5] Hitcham.

cellarius vellet transire per Sanctum Ædmundum, apud nos missam in crastino auditurus. Prohibuit ergo abbas, ne celebrarentur divina, dum cancellarius esset in ecclesia presens, quia dixit se audisse, apud Londonias, Londoniensem episcopum pronuntiasse cancellarium esse excommunicatum, et excommunicatum recessisse ab Anglia, coram sex episcopis, et nominatim pro violentia illata Archiepiscopo Eboracensi apud Doffram. Veniens ergo in crastino cancellarius apud nos, non invenit qui missam ei cantaret, nec clericum, nec monachum. Immo, sacerdos stans ad primam missam ad canonem misse et ceteri sacerdotes ad altaria cessaverunt, stantes inmotis labiis, donec nuntius veniret dicens, illum recessisse ab ecclesia. Cancellarius omnia dissimulans, multa gravamina intulit abbati, donec, procurantibus amicis, hinc et inde ad pacis osculum reversi sunt.

1191, Sept.

F. 135 *v.*

Cum rex Henricus[1] accepisset crucem et venisset infra mensem ad nos orationis gratia, abbas ipse sibi fecit crucem occulte de lineo panno, et tenens in una manu crucem et acum et filum, petivit licentiam a rege, ut acciperet crucem; set denegata est ei licentia, procurante episcopo Norwicensi Johanne et dicente, quia non expediret patrie, nec tutum esset comitatibus Norfolchie et Sutfolchie si episcopus Norwicensis et abbas Sancti Ædmundi simul recederent.

1188, 21 Jan.

Cum rumor venisset Lundoniis de capcione Regis Ricardi, et incarceracione ejus in Alemannia, et barones convenissent pro consilio accipiendo, prosiliit abbas coram omnibus dicens, se esse paratum querere dominum suum regem, vel in tapinagio vel alio modo, donec eum inveniret, et certam noticiam de eo haberet; ex quo verbo magnam laudem sibi adquisivit.

A. 1193.

Cum cancellarius, episcopus scilicet Eliensis, legati fungeretur officio et concilium celebraret apud Londoniam, et quedam decreta proposuisset contra nigros monacos, loquens de vagacione eorum ad sanctum Thomam et ad sanctum Ædmundum peregrinacionis optentu, et contra abbates loquens, prefiniens eis certum nume-

A. 1190.

[1] In margine a manu recent. "Ricūs."

rum equorum: respondit abbas Samson: "Nos non recipimus aliquod decretum contra regulam sancti Benedicti, que permittit abbatibus liberam disposicionem habere de monachis suis. Ego vero baroniam sancti Ædmundi servo et regnum ejus; nec sufficiunt mihi tredecim equi, sicut quibusdam aliis abbatibus, nisi plures habeam ad execucionem regie justitie conservande."

A. 1193. Cum esset werra in tota Anglia, capto rege Ricardo, abbas cum toto conventu sollempniter excommunicavit omnes factores werre et pacis turbatores, non timens comitem Johannem fratrem regis nec alium, unde abbas magnanimus dicebatur. Post quod factum ivit ad obsidionem de Windleshor, ubi armatus cum quibusdam aliis abbatibus Anglie, vexillum proprium habens, et plures milites ducens ad multas expensas, plus ibi consilio quam probitate nitens. Nos vero claustrales tale factum periculosum judicavimus, timentes consequentiam, ne forte futurus abbas cogatur in propria persona ire in expedicionem bellicam. Datis induciis illo tempore ivit in Alemanniam, et ibi visitavit regem cum donis plurimis.

A. 1194. Post redditum regis Ricardi in Angliam, data est licentia torneandi militibus. Ad quod faciendum convenerunt multi inter Theford[1] et Sanctum Ædmundum, sed prohibuit eos Abbas; qui resistentes,
F. 136. votum suum impleverunt. Alia vice venerunt quatuor viginti juvenes cum sectis suis, filii nobilium, ad vindicium faciendum cum plenis armis ad predictum locum. Quo perfecto, redierunt in villam istam causa hospitandi. Abbas vero hoc audiens, portas jussit
28 Jun. obserari, et eos omnes includi. Crastinus dies erat vigilia apostolorum Petri et Pauli. Fide ergo interposita, promittentes se non exire, nisi per licenciam, manducaverunt omnes cum abbate illo die; sed post prandium, abbate eunte in talamum suum, surrexerunt omnes et inceperunt carolare et cantare, mittentes in villam propter vinum, bibentes, et postea ululantes, abbati et conventui somnum suum auferentes, et omnia in derisum abbatis facientes, et diem usque ad vesperam hoc modo deducentes, nec propter mandatum abbatis voluerunt desistere. Vespere vero adveniente, seras

[1] Thetford.

portarum ville fregerunt, et vi exierunt. Abbas vero omnes sollempniter excommunicavit, per consilium tamen archiepiscopi Huberti justiciarii tunc temporis; quorum multi venerunt ad emendacionem, absolucionem petentes.

Romam misit abbas sepius nuntios suos, non vacuos. Primi 1182. 31 Mart.
quos misit, statim postquam fuit benedictus, impetraverunt in genere omnes libertates et consuetudines que concesse fuerant
prius, eciam tempore scismatis, predecessoribus suis; postea impe- 1187. 21 Jan.
travit, primus inter abbates Anglie, quod dare posset episcopalem benedictionem sollempniter ubicunque fuerit; et hoc est impe-
tratum sibi et successoribus suis. Postea impetravit exempcionem A. 1188.
generalem sibi et successoribus suis ab omnibus archiepiscopis Cantuariensibus, quam abbas H.[1] predecessor suus specialiter sibi adquisierat. Plures et novas libertates in illis confirmacionibus apponi fecit abbas Samson ad majorem libertatem et securitatem ecclesie nostre. Venit quidam clericus ad abbatem portans literas petitorias de redditu ecclesiastico habendo. Et abbas extrahens de scrinio suo septem scripta apostolica cum bullis pendentibus, ita respondit: "Ecce scripta apostolica, quibus diversi apostolici diversis clericis ecclesiastica beneficia petunt dari. Cum ergo illos pacavero qui prevenerunt, tibi redditum dabo, quia qui prius venit ad molendinum prius molere debet."

Facta est summonicio magna in hundredo de Risebrigga, ut audi-
retur querela et rectum comitis de Clara apud Witham. Ipse vero F. 136 *v.*
constipatus multis baronibus et militibus, comite Alberico et multis aliis assistentibus, dixit; quod ballivi sui fecerunt ei intelligere, quod ipsi solebant annuatim accipere ad opus suum v solidos de hundredo et ballivis hundredi, et nunc detinerentur injuste; et allegabat, quod predecessores sui fuerunt feoffati, ad capcionem Anglie, de terra Alfrici filii Withari[2]; qui quondam fuerat dominus illius hundredi. Abbas vero sibi consulens, nec de loco se movens, respondit: "Mirum videtur, domine comes, quod dicis! deficit.

[1] Hugo. [2] Wisgari, Lib. Domesday, 389, b.; Withgari, ibid. 390.

Rex Ædwardus dedit Sancto Ædmundo et carta sua confirmavit hunc hundredum integre, et de illis v solidis nulla fit ibi mencio. Dicendum est tibi, pro quo servicio, vel qua ratione exigis illos v solidos." Et comes, habito consilio suorum, respondit se debere portare vexillum Sancti Ædmundi in exercitu, et ob hanc causam illos v solidos sibi deberi. Et respondit abbas: "Certe, inglorium esse videtur si tantus vir, utpote comes Clarensis, tam parvum donum pro tali servicio recipiat: abbati autem Sancti Ædmundi parvum gravamen est dare v solidos. Comes R.[1] Bigot se saisiatum tenet, et saisiatum se asserit officio portandi
A. 1173. vexillum Sancti Ædmundi, qui illud portavit quando comes Lehecestrie fuit captus et Flandrenses destructi. Thomas eciam de Mendham dicit hoc esse jus suum. Cum vero dirationaveris versus eos hoc esse jus tuum, ego libenter v solidos, quos queris, persolvam." Comes vero respondit, se esse locuturum inde cum comite R. cognato suo, et sic res cepit dilacionem usque hodie.

A. 1191. Mortuo Roberto de Kokefeld, venit Adam filius ejus et cum eo parentes sui, comes R. Bigot, et alii multi potentes, et sollicitantes abbatem de tenementis predicti Ade, et precipue de dimidio hundredo de Cosford tenendo per annuum censum c solidorum, tanquam hoc esset jus suum hereditarium, et dicentes quod pater ejus et avus ejus tenuerunt illud quater xx annis retro et plus. Abbas vero, nacta opportunitate loquendi, apponens duos digitos suos ad duos oculos suos, dixit: "Illa die et illa hora perdam oculos istos, qua alicui concedam hundredum hereditarie tenendum, nisi rex inde vim mihi faciat, qui mihi potest auferre abbatiam et vitam." Ostendensque racionem dicti, ait: "Si aliquis teneret hundredum hereditarie, et ipse forisfaceret versus regem aliquo modo ita quod exhereditari deberet, statim vicecomes Sutfolchie et ballivi regis saisiarent hundredum;
F. 137. et excercerent potestatem suam infra terminos nostros; et si haberent custodiam hundredi, periclitaretur libertas octo hundredorum et dimidii." Convertensque sermonem ad Adam, ait: "Si tu,

[1] Rogerus.

qui clamas hereditatem in illo hundredo, acciperes in uxorem aliquam liberam feminam, que teneret saltem unam acram terre de rege in capite, rex post mortem tuam saisiaret totum tenementum tuum et wardam filii tui, si esset infra etatem; et ita ballivi regis intrarent in hundredum Sancti Ædmundi in prejudicium abbatis. Ad hoc, pater tuus recognovit mihi, se nihil juris hereditarii vendicare de hundredo; et, quia servicium suum mihi placuit, permisi eum tenere omnibus diebus vite sue, meritis suis exigentibus." Hiis dictis, oblata est abbati pecunia multa: sed nec potuit flecti nec prece nec precio. Convenit tandem inter eos ita: Adam renunciavit juri suo quod ore dicebat se habere in hundredo, et abbas confirmavit ei omnes alias terras suas, sed de villa nostra de Cokefeld nulla fuit facta mencio, nec cartam creditur inde habere; Semere et Grotene tenebit ad tempus vite sue.

Herbertus decanus levavit molendinum ad ventum super Hauberdun[1]: quod cum audisset abbas, tanta ira excanduit, quod vix voluit comedere, vel aliquod verbum proferre. In crastino, post missam auditam, precepit sacriste ut sine dilacione faceret carpentarios suos illuc ire et omnia subvertere, et materiam lignorum in salvam custodiam reponere. Audiens hoc decanus, venit dicens, se hoc de jure posse facere super liberum feudum suum, nec beneficium venti alicui homini debere denegari, et dixit se velle suum proprium bladum ibi molere, non alienum, ne forte putaretur hoc facere in vicinorum molendinorum detrimentum. Et respondit abbas adhuc iratus: "Gratias tibi reddo ac si ambos pedes meos amputasses; per os Dei, nunquam panem manducabo, donec fabrica illa subvertatur. Senex es, et scire debuisti, quod nec regi nec justitiario licet aliquid immutare vel constituere infra *bannamleucam* sine abbate et conventu; et tu tale quid presumsisti? Nec hoc sine detrimento meorum molendinorum est, sicut asseris, quia ad tuum molendinum burgenses concurrent, et bladum suum molerent pro beneplacito suo, nec eos possem de jure advertere,[2] quia liberi homines sunt. Nec etiam molendinum celerarii novi-

[1] Haberdon. [2] Avertere?

ter levatum stare sustinerem, nisi quia levatum fuit antequam fui
F. 137 v. abbas. Recede, inquit, recede; antequam domum tuam veneris, audies quid fiet de molendino tuo." Decanus autem timens a facie[1] abbatis, consilio filii sui magistri Stephani, famulos sacriste preveniens, molendinum illud elevatum a propriis famulis suis, sine omni mora, erui fecit; ita quod, venientibus servientibus sacriste, nichil subvertendum invenerunt.

A. 1194. et post. Quarumdam ecclesiarum advocacionem calumpniatus est abbas et optinuit. Quasdam etiam calumpniatas retinuit; ecclesiam de Westle, de Meringetorp, de Brethenham, de Wenelinga, de Pakeham, de Neutona, de Bradefelda in Norfolcia, medietatem ecclesie de Bocsford, ecclesiam de Scaldewella, et ecclesiam de Endegate. Omnes ab aliis calumpniatas retinuit, et tres porciones de ecclesia de Dicceleburcha ad jus advocacionis sue revocavit, et illarum porcionum tenementa ad liberum feudum ecclesie reduxit, salvo servicio, quod inde debetur aule de Tiveteshala.[2] Ecclesia vero de Bocsford vacante, cum summonita fuisset inde recognicio, venerunt quinque milites temptantes abbatem, et querentes quid inde deberent jurare. Abbas autem noluit eis aliquid dare, vel promittere, sed dixit: "Cum ad juramentum perventum fuerit, dicite rectum secundum conscientiam vestram." Ipsi vero indignantes recesserunt, et ei per juramentum suum advocacionem illius ecclesie,
A. 1188. scilicet ultimam presentacionem, abstulerunt; quam tamen postea recuperavit, multis factis expensis, et datis decem marcis.

Ecclesiam de Hungetona[3] non vacantem sed calumniatam retinuit abbas, tempore Durandi de Hostesli, licet ipse monstraverit in testimonium juris sui cartam W.[4] Norwicensis episcopi, qua continetur, quod Robertus de Valoniis socer ejus dederit illam ecclesiam Ærnaldo Luvello.

Ante 1191. Vacante medietate ecclesie de Hopetuna, mota est controversia inde inter abbatem et Robertum de Ulmo, positoque die concordie apud Hopetonam, post multas altercaciones dixit abbas ad predictum R., nescio quo impetu animi ductus: "Tu jura in pro-

[1] Jerem. xlii. 11. [2] Titshall. [3] Honington. [4] Willelmi.

pria persona, quod hoc tuum jus est, et ego concedo quod tuum sit." Cumque miles ille renuisset jurare, delatum est juramentum per consensum utriusque partis sexdecim legalibus de hundredo, qui juraverunt hoc esse jus abbatis. Gilbertus filius Radulfi et Robertus de Cokefeld, domini illius feudi, affuerunt et consenserunt. Prosiliens ibi magister Jordanus de Ros, habens tam cartam H.[1] abbatis, quam predicti R.[2] et hinc inde ut uter eorum diracionaret ecclesiam, ipse personatum haberet, dixit se esse personam tocius ecclesie et clericum proximo mortuum fuisse vicarium ejus, reddendo ei annuam pensionem de illa me- F. 138.
dietate, et inde ostendit cartam Walchelini archidiaconi. Abbas vero turbatus et iratus erga eum, nunquam eum in gratiam amicicie recepit, donec ipse Jordanus in capitulo monachorum de Theford,[3] instante abbate, reconsignavit in manus episcopi ibi presentis illam medietatem precise, sine omni condicione et spe recuperandi eam, coram multitudine clericorum. Quo facto, dixit abbas: "Domine episcope, ego ex promisso teneor dare redditum alicui clerico vestro: et ego dabo hanc medietatem hujus ecclesie cui ex vestris volueritis." Et episcopus petivit, ut amicabiliter redderetur eidem magistro Jordano, et sic ex presentacione abbatis eam suscepit Jordanus. Postea mota est controversia inter abbatem et eundem Jordanum de terra Herardi in Herlava, utrum esset liberum feudum ecclesie, an non. Cumque inde summonita esset recognicio duodecim militum in curia regis facienda, facta est in curia abbatis apud Herlavam per licentiam Rannulfi de Glanvilla, et juraverunt recognitores se nunquam scivisse illam terram fuisse separatam ab ecclesia, sed tamen illam terram debere abbati tale servicium quale debet terra Eustachii, et quedam alie terre laicorum in eadem villa. Tandem convenit inter eos ita: magister Jordanus in plena curia recognovit illam terram esse laicum feudum, et se nichil inde vendicare, nisi per gratiam abbatis; et illam terram

[1] Hugonis. [2] Roberti. [3] Thetford.

tenebit omnibus diebus vite sue, reddendo inde annuatim abbati xij denarios pro omnibus serviciis.

Cum juxta consuetudinem Anglorum multi multa darent munera abbati, ut domino, die Circumcisionis Dominice, cogitavi ego Jocelinus quid dare possem. Et incepi in scriptum redigere omnes ecclesias, que sunt in donacione abbatis, tam de nostris maneriis quam de suis, et rationabilia precia earum, sicut possent poni ad firmas, tempore quo bladus mediocriter venditur. Et intrante anno subsequente, dedi abbati sedulam illam pro munere ejus, quam valde gratanter accepit. Ego vero, quia placui tunc temporis in conspectu[1] ejus, "cogitavi in corde meo"[2] quod dicerem ei, ut aliquam ecclesiam daret conventui et assignaret in usum hospitalitatis, sicut desideravit quando pauper monachus claustralis fuit, et sicut ipse voluit ante electionem suam, ut fratres jurarent, ut super quemcumque sors abbatie caderet, hoc faceret. Sed dum
F. 138 v. hoc cogitavi, occurrit mihi memorie, quod quidam alius prius dixerat ei idem verbum, et audieram abbatem respondentem, se non posse demembrare baroniam, scilicet nec debere minuere libertatem et dignitatem, quam H.[3] abbas et ceteri predecessores sui habuerunt de ecclesiis donandis, qui nullam vel vix contulerunt conventui: et idcirco tacui. Scriptum tale fuit:

"Hee sunt ecclesie de maneriis et sochagiis abbatis. Ecclesia de Meleford valet xl libras, Geventona[4] x marcas, Saxham xij marcas, Hargrava v marcas, Brethenham v marcas, Bocsford centum solidos, major Fornham c solidos, Stowa c solidos, Hunegetona v marcas, Helmeswell tres marcas, Cottuna xij marcas, Brocford v marcas, Palegrava x marcas, major Horningesherd v marcas, Cunegestuna iiij^or marcas, Herlava xix marcas, Stapelforda tres marcas, Tiveteshala c solidos, Wirlingword cum Bedingfeld xx marcas, Saham vi marcas, medietas ecclesie de Wortham c solidos, Rungetona xx marcas, Torp vi marcas, Wlpet preter

[1] Deut. xii. 25. [2] Ecclesiastes, ii. 3. [3] Hugo. [4] Chevington.

pensionem c solidos, Ressebroc v marcas, medietas ecclesie de Hopetona lx solidos, Richinghale vi marcas, tres partes ecclesie de Dicleburch quelibet pars valet xxx solidos et plus, medietas ecclesie de Gislingham quatuor marcas, Ichelingham vj marcas, de ecclesia de Mildenhala, que valet xl marcas, et de medietate ecclesie de Wederdena quid dicam? Wenelinge c solidos, ecclesia de Len x marcas, ecclesia de Scaldewelle v marcas, de Werketona—.

"Hee sunt ecclesie de maneriis conventus: Mildenhal, Bertona, et Horningesherth xxv marcas preter pensionem, Rutham xv marcas preter pensionem, Bradefeld v marcas, Pakeham xxx marcas, Suthreia c solidos, Riseby xx marcas, Neutona iiij$^{or}$ marcas, Wepsted xiiij marcas, Fornham Sancte Genovefe xv marcas, Herningeswell ix marcas, Fornham Sancti Martini iij marcas, Ingham x marcas, Lacford c solidos, Alvedena x marcas, Kokefeld xx marcas, Semere xij marcas, Grotone v marcas, medietas ecclesie de Frisingfeld xiiij marcas, Beccles xx marcas, Broc xv marcas, Hildercle x marcas, Werketona x marcas, Scaldewell v marcas, Westle v marcas, ecclesia in Norwico duas marcas preter pensionem alleciorum, et due ecclesie in Colecestra iii marcas preter pensionem iiij solidorum, Chelesword c solidos, Meringetorp iiij marcas, medietas ecclesie de Bradefeld in Norfolchia tres marcas: staffacres, et foracres, et tertie partes decimarum dominiorum Wrabenesse, vj marcas."

Duo comitatus Norfolchia et Suthfolchia positi fuerunt in misericordia regis a justiciariis errantibus propter quoddam foris- F. 139.
factum, et posite fuerunt l marce super Norfolchiam, et xxx super Sutfolciam. Et cum quedam porcio de illa communi misericordia poneretur super terras Sancti Ædmundi et acriter exigeretur, abbas sine omni mora adiit dominum regem, et invenimus eum apud Clarendonam; ostensaque ei carta regis Ædwardi, que liberas facit A. 1187.
terras Sancti Ædmundi de omnibus geldis et scottis, precepit rex

per literas suas, ut sex milites de comitatu de Norforchia et sex de Sutfolchia summonerentur ad recognoscendum coram baronibus scaccarii, utrum dominia Sancti Ædmundi deberent esse quieta de communi misericordia; et electi sunt tantum sex milites, ut ita parceretur laboribus et expensis, et ideo quia habuerunt terras in utroque comitatu, scilicet Hubertus de Briseword, W. filius Hervei, et Willielmus de Franchevilla, et tres alii, qui Londonias iverunt nobiscum, et ex parte duorum comitatuum libertatem ecclesie nostre recognoverunt. Justiciarii autem assidentes verumdictum illorum inrollaverunt.

A. 1196. Abbas Samson iniit certamen cum militibus suis, ipse contra omnes, et omnes contra eum (proposuit eis quod deberent ei facere integre servicium quinquaginta militum in scutagiis, et in auxiliis, et in consimilibus, quia, ut aiebant, feudos tot militum tenebant) quare decem ex illis quinquaginta militibus essent sine servicio, vel qua ratione vel cujus auctoritate illi quadraginta reciperent servicium decem militum. Responderunt omnes una voce talem fuisse consuetudinem, ut decem ex illis semper adjuvarent quadraginta, nec se velle inde, nec debere inde respondere, nec in placitum intrare. Cum ergo fuissent summoniti inde responsuri in curia regis, quidam exoniaverunt se ex industria, quidam apparuerunt in dolo, dicentes, se non respondere sine paribus suis. Alia vice se presentaverunt, qui prius se absentaverunt, dicentes similiter, se non debere respondere sine paribus suis, qui in eadem querela fuerunt. Cumque sic sepius illusissent abbati, et in magnis et in gravibus expensis vexassent, conquestus est inde abbas H.[1] archiepiscopo tunc justiciario; qui respondit in generali concione quemlibet militem pro se ipso debere loqui et pro suo proprio tenemento. Et dixit palam abbatem bene scientem et bene potentem esse ad dirationandum jus ecclesie sue contra omnes et singulos. Comes ergo R.[2] Bigot primus sponte confessus est in jure se debere abbati domino suo servitium trium militum integre, et in

[1] Huberto. [2] Rogerus.

releviis et in scutagiis et in auxiliis, sed de warda facienda ad castellum Norwici tacuit. Venerunt postea duo ex militibus, postea tres, postea plures, postea sepe[1] omnes, et ad exemplum comitis idem servicium recognoverunt; et quia non sufficiebat recognicio inde facta in curia Sancti Ædmundi, secum ducebat omnes abbas Lundonias ad suos sumptus, et uxores et mulieres, qui erant terrarum heredes, ut recognicionem facerent in curia regis, et singuli singulos cirographos acceperunt. Albericus de Ver, et Willelmus de Hastinga, et duo alii fuerunt in servitio regis ultra mare, quando hec fiebant, et ideo loquela de eis differri debuit. Albericus de Ver ultimus erat qui abbati resistebat; abbas vero averia ejus cepit et vendidit, unde oportuit eum venire in curiam et respondere sicut pares sui. Inito ergo consilio, recognovit tandem Sancto Ædmundo et abbati jus suum. Superatis ergo omnibus militibus, ex tali victoria tale lucrum poterit[2] abbati, nisi abbas voluerit aliquibus parcere; quociens xx solidi ponentur super scutum, remanebunt abbati xij libre, et si plus vel minus ponatur, plus vel minus ei remanebit secundum debitam porcionem. Item solebat abbas et antecessores sui semper in fine xx ebdomadarum dare vij solidos ad wardam castelli de Norwico de sua bursa pro defectu trium militum, quos comes R. Bigot tenet de Sancto Ædmundo, et solebant singuli milites de quatuor constabiliis dare xxviij denarios, quando intrabant ad wardas faciendas, et unum denarium marescaldo, qui illos denarios colligebat, et ideo xxviij denarios et non amplius dabant, quia decem milites de quinta constabilia solebant adjuvare ceteros quadraginta; ita, quod ubi debebant dare tres solidos integre, dederunt tantummodo xxix denarios, et qui debebat intrare ad wardam faciendam in fine iiij^or^ mensium, intravit in fine xx ebdomadarum. Modo autem dant singuli milites plene tres solidos et remanet abbati superexcrescentia que excrescit ultra xxix denarios, unde poterit se adquietare de prenominatis vii solidis. Ecce

F. 139 v.

[1] Rectius forte "fere."

[2] Desiderari videtur "accrescere"

patet quam vim optinuerunt comminationes abbatis, quas fecit die prima, quando recepit homagium de militibus suis, sicut prescriptum est, quando singuli milites promiserunt ei xx solidos, et statim se retraxerunt, nolentes dare ei in summa nisi xl libras, dicentes quod decem milites deberent adjuvare ceteros quadraginta in auxiliis et wardis faciendis, et in omnibus consimilibus.

F. 140. Est autem quedam terra in Tivetteshale de feudo abbatis que reddere solet vigilibus de castello Norwici, *Waite-fe*, id est, xx solidos per annum, scilicet quinque solidos in quolibet jejunio quatuor temporum. Antiqua est hec consuetudo, quam abbas libenter vellet mutare, si posset; sed inpotentiam suam considerans in hac parte adhuc tacet et dissimulat.

*De Henrico de Esexia.*

Ad beati regis et martiris memoriam diffusius dilatandam, prescriptis non incontinue, ut credimus, istud connectimus; non quod ego tantillus et nullius fere momenti istud memoriali titulo commendaverim,[1] quia dominus Jocelinus, elemosinarius noster, vir religionis eximie, potens in sermone et opere, ad potestatis preces imperiosas, sic tandem exorsus est; que mea reputo, quia, juxta preceptum Senece, quicquid ab aliquo bene dictum est, mihi inpresumptuose ascribo.

Cum venisset abbas apud Radingas, et nos cum eo, sicut decuit suscepti sumus a monachis ejusdem loci; inter quos Henricus de Esexia devotus occurrit, qui, nacta loquendi oportunitate abbati et omnibus assidentibus, narravit qualiter victus fuit in duello, et qualiter Sanctus Ædmundus et ob quam causam confudit eum in ipsa hora pugnandi. Ego vero narrationem ejus in scriptum redegi, domino abbate precipiente, et scripsi in hec verba:

Quum non potest malum vitari nisi cognitum, actus et excessus Henrici de Estsexia memoriali scripto tradere dignum ducimus, ad cautelam quidem, non ad usum. Utilis et indempnis solet esse castigacio, quam persuadent exemplaria. Predictus itaque

[1] "Sed" desideratur.

Henricus dum floreret in prosperis, inter primates regni vir magni nominis habebatur, genere clarus, armis conspicuus, regis signifer, verendus omnibus privilegio potestatis. Ceteri conprovinciales ecclesiam beati Ædmundi regis et martiris in rebus et redditibus ampliabant; ille vero non solum clausis oculis hoc preteribat, verum etiam vi, et injuriis et per injuriam, annuum redditum quinque solidorum abstraxit, et in proprios usus convertit. Processu vero temporis, cum in curia Sancti Ædmundi ageretur causa de raptu cujusdam virginis, accessit idem H. protestans et asserens, loquelam illam in curia sua debere tractari ratione nativitatis ejusdem puelle, que in dominio suo de Lailand nata fuerat. Cujus rationis pretextu, curiam Sancti Ædmundi in itineribus et innumerabilibus expensis longo temporis tractu vexare presumsit. F. 140 *v*.
In hiis interim et consimilibus arridens ad votum, prosperitas perpetui subintulit causam doloris, et, sub fantasia jocundi principii, tristes in eum exitus moliebatur; ex usu etenim est ei arridere ut seviat, blandiri ut fallat, extollere ut deprimat. Nec mora, insurrexit in eum Robertus de Monteforti, ipsius consanguineus, nec genere nec viribus impar, in conspectu principum terre dampnans et accusans eum de prodicione regis. Asseruit nempe eum in expedicione belli apud Waliam in difficili transitu de Coleshelle vexillum domini regis fraudulenter abjecisse, et mortem ejus A. 1157.
sublimi voce proclamasse; et in presidium ejus venientes, in fugam convertisse. In rei veritate, predictus Henricus de Esexia inclitum regem Henricum secundum, Walensium fraudibus interceptum, diem clausisse credidit extremum; quod revera factum fuisset, nisi Rogerus comes Clarensis, clarus genere et militari clarior excercitio, cum suis Clarensibus maturius occurrisset, et domini regis vexillum elevasset, ad corroboracionem et animacionem totius exercitus. Henrico quidem resistente et[1] predicto Roberto in concione, et objecta penitus inficiante, evoluto brevi temporis spacio, ad corporale duellum perventum est. Conve-

[1] Sic in MS.; deleri vero debet vocabulum istud "et."

A. 1163. nerunt autem apud Radingas pugnaturi in insula quadam satis Abbatie vicina; convenit et gentium multitudo, visura quem finem res sortiretur. Et factum est, cum Robertus duris et crebris ictibus viriliter intonasset, et audax principium fructum victorie promisisset, Henricus parumper deficiens circumquaque respexit, et ecce in confinio terre et fluminis vidit gloriosum regem et martirem Ædmundum armatum et quasi in aere volitantem et cum quadam vultus austeritate versus eum crebro capitis motu minas iracundie et indignacionis plenas pretendentem; vidit et alium cum eo militem, Gilbertum de Cerivilla, non solum quantum ad apparentiam gradu dignitatis inferiorem, sed et ab humeris supra statura minorem, oculos quasi indignantes et iracundos in eum convertere. Hic ad preceptum ipsius Henrici, vinculis et tormentis afflictus, diem clausit extremum, intrusus occasione et accusacione uxoris Henrici, que propriam nequitiam in innocentem deflectens, dicebat se petitiones precarias Gilberti de illicito amore non posse sustinere. Hos itaque, tam sollicitus quam timidus, intuens, Henricus antiquum scelus novum ferre pudorem recordatur.
F. 141. Et jam totus desperans, et rationem in impetum convertens, impugnantis, non defendentis, assumpsit officium. Qui dum fortiter percussit, fortius percussus est; et dum viriliter impugnabat, virilius inpugnabatur. Quid multa? victus occubuit. Cumque mortuus crederetur, ad magnam peticionem magnatum Anglie, ejusdem Henrici consanguineorum, concessum est monachis ejusdem loci, ut darent ejus corpus sepulture. Postea tamen convaluit, et, resumpto sanitatis beneficio, sub regulari habitu, superioris evi labem detersit, et, longam dissolute etatis ebdomadam uno saltem sabbato curans venustare, studia virtutum in frugem felicitatis excoluit.—

Galfridus Ridellus episcopus Eliensis petiit ab abbate materiem lignorum ad quedam magna edificia facienda apud Glemesford; quod et abbas concessit, set invitus; non ausus tunc eum offendere. Abbate moram apud Melcford faciente, venit quidam

clericus episcopi, rogans ex parte domini sui ut ligna promissa possent capi apud Ælmeswell; et erravit in verbo dicens Ælmeswell ubi dicere deberet Ælmessethe,[1] quod est nomen cujusdam nemoris de Meleford. Et mirabatur abbas de mandato, quia talia ligna non potuerunt inveniri apud Ælmeswell. Quod cum audisset Ricardus forestarius de eadem villa, dixit occulte abbati, episcopum misisse proxima ebdomada preterita carpentarios suos tanquam exploratores in boscum de Ælmessethe, et eligisse meliora ligna totius bosci, et signa sua imposuisse. Quo audito, subito conperit abbas nuncium episcopi errasse in mandato, respondens ei se facere libenter voluntatem episcopi. In crastino recedente nuntio, statim post missam auditam ivit abbas cum carpentariis suis in boscum prenominatum, et omnes quercus prius signatas, cum plusquam centum aliis, suo signo signari fecit ad opus Sancti Ædmundi, et ad culmen magne turris, precipiens ut quamtocius succiderentur. Episcopus autem, cum ex responso sui nuntii intellexit ligna predicta apud Ælmeswell esse capienda, eundem nuntium multis contumeliis affectum remisit ad abbatem, ut verbum in quo erraverat corrigeret, dicendo Ælmesethe non Ælmeswell; sed antequam venisset ad abbatem, jam succisa erant omnia ligna que episcopus desideraverat, et carpentarii sui signaverant. Unde et eum ligna alia et alibi capere oporteret si vellet. Ego autem, quando hoc videbam, ridebam et dicebam in corde meo: "Sic ars deluditur arte." F. 141 *v.*

Mortuo Hugone abbate, voluerunt custodes abbatie deponere A. 1182. prefectos ville Sancti Ædmundi et novos constituere sua auctoritate, dicentes hoc pertinere ad regem, in cujus manu abbatia fuit. Nos autem inde conquerentes, misimus nuncios nostros domino Ranulfo de Glanvilla, tunc justiciario; qui respondit se bene scire xl libras debere reddi de villa annuatim sacristie nostre, et nominatim ad luminaria ecclesie; et dixit H. abbatem pro voluntate sua et in talamo suo sine consensu conventus prefecturam

[1] Elmset.

dedisse quotiens voluit et quibus voluit, salvis xl libris altari reddendis; et ideo non esse mirandum si bailivi regis hoc ipsum exigerent ex parte regis, et acerbe loquens, nos omnes monachos stultos nominavit, ex hoc quod passi sumus abbatem nostrum talia fecisse; non advertens quod monachorum summa religio tacere est, et excessus suorum prelatorum clausis oculis preterire; nec attendens quod baratores dicuntur si in aliquo, sive juste sive injuste, contradicimus, et quandoque rei lese majestatis, vel carceris vel exilii pena dampnamur; unde et sanius consilium mihi et consimilibus meis videtur, ut confessores, quam ut moriamur martires. Redeunte ad nos nuntio nostro, et narrante que audierat et viderat, quasi inviti et coacti inivimus consilium, ut, communi voluntate et conventus et custodum abbatie, deponerentur veteres prefecti ville, reluctante Samsone subsacrista nobiscum, quantum potuimus. Samson autem abbas factus, non immemor injurie conventui illate, in crastino Pasche proxime post electionem suam fecit conveniri in capitulo nostro milites et clericos et multitudinem burgensium, et coram omnibus dixit istam villam pertinere ad conventum et ad altare, nominatim ad invenienda luminaria ecclesie; et se velle renovare antiquam consuetudinem, ut coram conventu et cum communi assensu tractaretur de prefectura ville et consimilibus que ad conventum pertinebant. Et nominati sunt eadem hora duo burgenses, Godefridus et Nicholaus, ut essent prefecti, habitaque disputatione de cujus manu cornu acciperent, quod dicitur *mot-horn*, tandem illud receperunt de manu prioris, qui post abbatem caput est de rebus conventus. Illi autem duo prefecti bailivam suam pacifice custodierunt per plures
F. 142. annos, quousque dicerentur remissi in justitia regis custodienda: dictante autem ipso abbate, ut major securitas daretur conventui super hac re, remotis illis, recepit Hugo sacrista villam in manu sua, novos servientes constituens, qui ei de prefectura responderent; sed processu temporis, nescio quomodo, postea novi prefecti substituti sunt alibi quam in capitulo, et sine conventu: unde vel

simile vel majus timetur periculum post decessum abbatis Samsonis, quam fuerit post decessum Hugonis abbatis. Quidam autem ex fratribus nostris de amore et familiaritate abbatis plenius confidens, nacta oportunitate, et modeste sicut decuit, convenit inde abbatem, asserens inde murmur fieri in conventu. Abbas vero, hiis auditis, diu tacuit, ac si aliquantulum inde turbaretur, et tandem ita dicebatur respondisse: "Nonne ego, ego sum abbas? nonne mea interest disponere de rebus ecclesie mihi commisse, dummodo sapienter egero et secundum Deum? Si defectus fuerit regie justitie in villa ista, ego calumpniatus ero, ego ero summonitus, mihi incumbet labor itineris et expense, et defensio ville et pertinentium; ego stultus habebor, non prior, non sacrista, non conventus; sed ego, qui caput eorum sum et esse debeo. Per me et consilium [1], Domino adjuvante, erit villa servata indempniter pro posse meo, et salve erunt quadraginta libre annuatim reddende altari. Murmurent fratres: detrahant: dicant inter se, quod voluerint: pater eorum sum et abbas; quamdiu vixero, honorem meum alteri non dabo." Hiis dictis, recessit monachus, qui eadem responsa referebat. Ego autem de talibus verbis mirabar, et contrariis motibus mecum disputavi; tandem dubitare coactus, eo quod regula juris dicit et docet, ut omnia sint in dispositione abbatis.

Mercatores Lundonienses voluerunt esse quieti de theloneo ad nundinas Sancti Ædmundi; plures tamen inviti et coacti dederunt illud; unde multus tumultus et commotio magna facta est inter cives Lundonie in suo hustengio. Convenientes ergo inde, abbati S.[2] dixerunt, se quietos esse debere per totam Angliam auctoritate carte, quam habuerunt de rege Henrico secundo. Quibus abbas respondit, quod, si necesse esset, bene posset trahere regem in warantum, quod nunquam aliquam cartam eis fecit in prejudicium ecclesie nostre, nec in detrimentum libertatum Sancti Ædmundi, cui sanctus Ædwardus *tollum* et *themum* et omnia jura F. 142 *v.*

[1] "Meum," desiderari videtur.

[2] Samsoni.

regalia concessit et confirmavit, ante conquestum Anglie; et quod rex Henricus dedit Lundoniensibus quietantiam theolonei per dominia sua propria, ubi poterat dare eam; quia in villa Sancti Ædmundi non poterat, quod suum non erat. Audientes hec Lundonienses, communi consilio decreverunt, quod nullus ex eis veniret ad nundinas Sancti Ædmundi, et duobus annis absentaverunt se, unde magnum detrimentum habuerunt nundine nostre, et oblatio sacriste minorata fuit in magna parte. Tandem, episcopo Lundonensi et aliis pluribus interloquentibus, ita convenit inter nos et eos, quod ipsi venirent ad nundinas, et aliqui ex eis darent theloneum, sed statim eisdem redderetur, ut sub tali velamento utrimque libertas servaretur. Sed processu temporis, cum fecisset abbas concordiam cum militibus suis, et quasi in pace dormisset, ecce iterum "Philistiim super te, Samson [1]!" Ecce Londonienses, una voce comminantes, quod domos lapideas, quas abbas eodem anno edificaverat, ad terram prosternerent, vel contra, namum de hominibus Sancti Ædmundi in centuplum acciperent, nisi abbas cicius emendaret injuriam eis illatam a prefectis ville Sancti Ædmundi, qui xv denarios acceperant a carettis civium Londoniensium, que, venientes de Gernemue, allecia portantes, transitum per nos fecerunt. Et dicebant cives Lundonienses fuisse quietos de theloneo in omni foro, et semper et ubique, per totam Angliam, a tempore quo Roma primo fundata fuit, et civitatem Lundonie eodem tempore fundatam; talem debere habere libertatem per totam Angliam, et ratione civitatis privilegiate que olim metropolis fuit et caput regni, et ratione antiquitatis. Abbas vero competentes indutias quesivit inde, usque ad reditum domini regis in Angliam, ut eum super hoc consuleret; et, habito consilio cum juris-discretis, replegiavit calumpniatoribus illos xv denarios, reservata utrique parti questione de jure suo.

A. 1192. Decimo anno abbatiæ S.[2] abbatis, de communi consilio capituli nostri, conquesti sumus abbati in curia sua, dicentes red-

[1] Jud. xvi. 9, 12, 14, 20. [2] Samsonis.

ditus et exitus omnium bonarum villarum et burgorum Anglie crescere, et augmentari in commodum possidencium et emendacionem dominorum, preter villam istam, que xl libras dare solet, et nunquam ad plus extenditur; et burgenses ville esse in causa F. 143.
hujusmodi rei, qui tantas et tot purpresturas tenent in foro, de sopis et seldis, et stalagiis, sine assensu conventus, et ex solo dono prefectorum ville, qui annuales firmarii et quasi servientes sacriste fuerunt, pro beneplacito ejus removendi. Burgenses vero summoniti responderunt, se esse in assisa regis, nec de tenementis, que illi et patres eorum tenuerunt, bene et in pace, uno anno et uno die, sine calumpnia, se velle respondere contra libertatem ville et cartas suas; et dixerunt talem fuisse consuetudinem antiquam, ut prefecti darent, inconsulto conventu, loca soparum et seldarum in foro per aliquem redditum prefecture annuatim reddendum. Nos autem reclamantes volumus, ut abbas dissaisiaret eos de talibus tenementis, unde warantum nullum habuerunt. Abbas vero veniens ad consilium nostrum, tanquam unus ex nobis, secreto nobis dixit, se velle nobis rectum tenere pro posse suo; sed ordine justiciario se debere procedere, nec sine judicio curie posse dissaisiare liberos homines suos de terris vel redditibus suis, quos per plures annos tenuerunt, sive juste, sive injuste: quod si faceret, dicebat se cadere in misericordiam regis per assisam regni. Burgenses ergo, ineuntes consilium, optulerunt conventui redditum c solidorum pro bono pacis, et ut tenerent tenementa sua, sicut solebant. Nos vero hoc noluimus concedere, malentes ponere loquelam in respectum, sperantes forsitan, tempore alterius abbatis, vel omnia recuperare, vel locum nundinarum mutare; et ita res cepit dilacionem per plures annos. Cum autem redisset abbas de Allemannia, optulerunt ei burgenses lx marcas, et pecierunt confirmacionem suam de libertatibus ville, sub eadem forma verborum, sicut predecessores ejus Anselmus et Ordingus et Hugo eis confirmaverant; quod et abbas Samson benigne annuit eis. Nobis autem murmurantibus et grunnientibus, facta est eis carta, sicut eis promiserat; et quia circ. 1194.

pudor esset ei et confusio, si non posset implere quod promiserat, noluimus ei contradicere, nec ad iracundiam provocare. Burgenses autem, ex quo habuerunt cartam abbatis S.[1] et conventus, confidebant plenius, quod nunquam tempore abbatis S. amitterent tenementa sua nec libertates suas; unde nunquam postea, sicut prius, voluerunt prenominatum redditum centum solidorum dare nec offerre. Abbas autem, hoc tandem advertens,
F. 143 v. convenit burgenses super hoc, dicens quod, nisi facerent pacem cum conventu, prohiberet seldas eorum edificari ad nundinas Sancti Ædmundi. Illi vero responderunt, se velle dare singulis annis cappam sericam, vel aliquod aliud ornamentum ad precium centum solidorum, sicut prius promiserunt; sed tamen hoc pacto, ut quieti essent inperpetuum de decimis denariorum, quos sacrista acriter ab eis exigebat. Abbas autem et sacrista hoc contradixerunt, et ideo posita est iterum loquela in respectum. Nos vero illos c solidos huc usque amisimus, secundum quod vulgariter solet dici: "Qui non vult capere quando potest, non capiet quando volet."

Celerarii celerariis plures pluribus succedebant, et quilibet eorum in fine anni magno debito deprimebatur. Dabantur celerario in auxilium xx libre de Mildenhal, nec sufficiebant. Assignate sunt postea quinquaginta libre celerario singulis annis de eodem manerio; et adhuc dicebat celerarius hoc non sufficere. Volens ergo abbas indemnitati et utilitati tam sue quam nostre providere; sciens in omni defectu nostro ad eum, tanquam ad patrem monasterii, esse recurrendum, quendam clericum de mensa sua, magistrum Ranulfum nomine, celerario nostro associavit, ut ei tanquam testis et socius assisteret, et in expensis et in receptis. Et ecce! multi multa loquuntur. Densescunt murmurationes, fabricantur mendacia, consuuntur detractiones detractionibus, nec est angulus in domate, qui venenoso non resonet sibilo. Dicit aliquis alicui: "Quid est quod factum est? quis vidit talia? nunquam tale dedecus factum est conventui. Ecce! abbas constituit clericum

[1] Samsonis.

super monachum; ecce! clericum constituit magistrum et custodem super celerarium, ut nichil boni possit facere sine eo. Monacos suos vilipendit abbas, monacos suspectos habet, clericos consulit, clericos diligit. "Quomodo obscuratum est aurum? Mutatus est color optimus.[1]" Dixit item amicus amico: "Facti sumus in opprobrium vicinis nostris. Omnes nos monachi vel infideles, vel improvidi reputamur; clerico creditur, non monacho: magis confidit abbas de clerico quam de monacho. Numquid clericus ille magis fidelis est, vel magis sapiens, quam aliquis monachus?" Item dixit socius socio: "Celerarius et subcelerarius nonne sunt, vel esse possunt, tam fideles homines, ut sacrista, vel ut camerarius? Consequens ergo F. 144.
est, ut iste abbas, vel successor ejus, clericum ponat cum sacrista, clericum cum camerario, clericum cum subsacristis, ad colligendam oblacionem ad feretrum, et sic cum singulis officialibus, unde nos erimus in subsanacionem et derisum omni populo." Ego autem talia audiens, solebam respondere: "Si ego essem celerarius, vellem utique, ut clericus mihi testis esset in omnibus agendis; quia si bene facerem, ipse testimonium perhiberet de bono; si vero in fine anni aliquo debito oppressus essem, credi possem et excusari per clericum illum." Unum autem ex fratribus nostris, virum utique discretum et litteratum, audivi quiddam dicentem, quod movit me et plures alios: "Non est," inquit, "mirandum, si dominus abbas de nostris rebus custodiendis partes suas interponat, qui porcionem abbatie, que eum contingit, sapienter regit et domui sue sapienter disponit, cujus interest defectum nostrum supplere, si ex incuria vel inpotentia nostra contingat. Sed unum," inquit, "restat periculum post mortem S.[2] abbatis, futurum quale nunquam nobis contigit diebus vite nostre. Venient sine dubio bailivi regis et saisiabunt abbatiam in manu sua, scilicet baroniam que pertinet ad abbatem, sicut olim factum est, post mortem ceterorum abbatum, et sicut olim post mortem H.[3] abbatis voluerunt ballivi regis constituere novos prefectos in villa Sancti Ædmundi, auctoritatem allegantes, H.[4] abbatem hoc fecisse: consi-

[1] Lament. iv. i. [2] Samsonis. [3] Hugonis. [4] Hugonem.

mili ratione, processu temporis, ballivi regis ponent clericum suum ad custodiendum cellarium, ut per eum et ad preceptum ejus omnia fiant; et dicturi sunt se debere hoc facere, quia abbas Samson sic fecit; et ita potuerunt commisceri et confundi res et red-
Inter ann. 1109 et 1112. ditus abbatis et conventus, quos abbas Robertus bone memorie requisito consilio distinxit, et ab invicem separavit." Cum hoc et consimilia verba audirem a viro magni consilii et provido, stupui et tacui, domnum abbatem, de tali facto, nec volens condempnare, nec volens excusare.

circ. 1198. Hubertus Walteri[1] archiepiscopus Cantuariensis, et legatus apostolice sedis et justiciarius Anglie, cum multas ecclesias visitasset, et multa mutasset et innovasset jure legatie, rediens de matre sua carnali morante et moriente apud Derham, transmisit ad nos ij clericos suos, portantes literas domini sui signatas, quibus con-
F. 144 v. tinebatur, ut dictis et factis eorum fidem haberemus. Illi vero abbati et conventui proposuerunt interroganda, utrum vellemus recipere dominum suum legatum ad nos venientem, sicut debet recipi legatus, et recipitur ab aliis ecclesiis. Quod et si concederemus, in brevi veniret ad nos, una cum consilio abbatis et conventus de rebus et negociis ecclesie nostre secundum Deum dispositurus: quod et si ei hoc nollemus concedere, clerici illi duo mandatum domini sui nobis plenius exprimerent. Abbate vero convocante plures de conventu, tale consilium inivimus, ut clericis ad nos missis benigne responderemus, dicentes, nos velle dominum suum recipere, ut legatum, cum omni honore et reverentia, et mittere simul cum eis nuntios nostros, qui hoc domino legato ex parte nostra dicerent; et consultum habuimus ut, sicut prius feceramus episcopo Eliensi et aliis legatis, ei omnem honorem exhiberemus cum processione, et campanis resonantibus, et cum ceteris solempnibus, cum reciperemus, donec veniretur ad scrutinium in capitulo forsitan faciendum: quod si vellet facere, tunc demum ei omnes unanimiter resisteremus in facie, Romam appellantes et cartis nostris innitentes. Dixitque dominus abbas: "Si ad presens

[1] Hubertus Walteri, Ben. Abb. 628, 671, 560. Gerv. col. 1490.

voluerit legatus ad nos venire, ita faciemus sicut supradictum est; si vero adventum suum ad nos distulerit ad tempus, interim dominum papam consulemus, querentes, quam vim habere debeant privilegia ecclesie nostre, ab eo et antecessoribus suis impetrata, contra archiepiscopum, qui super omnes privilegiatas ecclesias Anglie a sede apostolica potestatem impetravit." Tale fuit consilium nostrum. Cum autem audisset archiepiscopus, quod vellemus recipere eum ut legatum, nuntios nostros gratanter recepit, et cum gratiarum actione. Et factus est domino abbati in omnibus negociis suis benignus et propicius, et adventum suum ad nos quibusdam causis emergentibus distulit ad tempus. Omni ergo dilacione postposita, misit abbas domino pape easdem literas, quas legatus miserat ei et conventui, in quibus continebatur quod ipse venturus esset ad nos auctoritate legacie sue, et auctoritate domini pape, in quibus scribebatur, quod et ei data fuit potestas super omnes exemptas ecclesias Anglie, non obstantibus literis Eboracensi ecclesie vel alicui impetratis. Instante autem nuntio abbatis, scripsit dominus papa domino Cantuariensi, asserens ecclesiam nostram spiritualem filiam suam nulli legato respondere, nisi legato a latere domini pape misso, et prohibuit, ne in nos manum F. 145.
extenderet; et adjecit dominus papa de suo, prohibens etiam, ne in aliquam aliam ecclesiam exemptam potestatem excerceret. Rediit ad nos nuntius noster et absconditum fuit hoc aliquot diebus. Significatum tamen hoc fuit domino Cantuariensi a familiaribus suis de curia domini pape. Cum autem in fine anni visitacionem suam faceret legatus per Norfolch et Suthfolch, et venisset primo apud Colecestriam, misit legatus ad abbatem nuntium occulte, mandans ei, quod bene audivit dici, quod abbas impetraverat literas contra legatiam suam, et petens, ut mitteret ei amicabiliter literas illas. Et ita factum est. Habuit enim abbas duo paria literarum sub eadem forma. Abbas vero nec visitavit legatum, nec per se, nec per interpositam personam, quamdiu fuit in episcopatu Norwicensi, ne putaretur velle facere finem cum

legato de hospicio ei faciendo, sicut ceteri monachi et canonici fecerunt. Legatus autem turbatus et iratus, et timens excludi, si ad nos veniret, per Norwicum, per Acram, per Derham, transivit in Heli, Lundoniam tendens. Abbate autem apparente, infra mensem, coram legato, inter Waltham et Lundoniam, in via regia, convenit eum quod noluit ei occurrere utpote justitiario domini regis quando fuit in regione ista. Abbas autem respondit, cum non isse ut justitiarium, sed ut legatum, facientem scrutinium in singulis ecclesiis, et allegavit racionem temporis, et quod passio Domini instabat, et oportebat eum interesse divinis obsequiis et claustralibus observantiis. Cum autem verba verbis, objectiones objectionibus opposuisset abbas, nec posset minis terreri nec flecti, respondit legatus cum indignacione se bene scire quod disputator bonus esset, et illum esse meliorem clericum, quam legatus esset. Abbas ergo, nec tacenda timide preteriens, nec dicenda tumide loquens, in audientia plurium respondit se talem esse, quod nunquam sustinebit ecclesie sue libertatem quassari, nec propter defectum scientie nec pecunie, etiamsi oporteret eum mori vel perpetuo exilio dampnari. Finitis autem hiis et hujusmodi altercacionibus, incepit legatus erubescere, abbate parcius loquente et rogante, ut mitius ageret cum ecclesia Sancti Ædmundi: racione natalis soli, quia quasi nativus Sancti Ædmundi et ejus nutritus[1] fuit. Erubuit quidem quia virus, quod intus conceperat, inconsulte effu-
A. 1199. derat. In crastino nuntiatum est archiepiscopo Cantuariensi, quod dominus Eboracensis veniret legatus in Angliam, et quod ipse
F. 145 *v*. suggesserat multa mala domino pape de eo, dicens quod ipse gravaverat ecclesias Anglie, causa visitacionis sue de triginta millibus marcis argenti acceptis. Misit ergo legatus ad abbatem clericos suos, rogans, ut scriberet cum ceteris abbatibus domino pape, et excusaret eum. Quod concessit abbas, et testimonium perhibuit quod dominus Cantuariensis nec ad nostram ecclesiam venit, nec illam nec aliam gravavit ecclesiam, loquens secundum conscientiam suam. Et cum abbas tradidisset literas illas nunciis archiepis-

[1] Nutritius?

copi, dixit coram omnibus, se non timere etiamsi voluerit archiepiscopus in hiis literis malignari; et responderunt clerici in periculo anime sue dominum suum nichil doli velle machinari, sed tantum velle excusari, et ita facti sunt amici archiepiscopus et abbas.

Precepit rex Ricardus omnibus episcopis et abbatibus Anglie, A. 1198.
ut de suis baroniis novem milites facerent decimum, et sine dilacione venirent ad eum in Normanniam, cum equis et armis, in auxilium contra regem Francie. Unde et abbatem oportuit respondere de iiij militibus mittendis. Cumque summoneri fecisset omnes milites suos, et eos inde convenisset, responderunt, feudos suos, quos de Sancto Ædmundo tenuerunt, hoc non debere, nec se, nec patres eorum, unquam Angliam exisse, set scutagium aliquando ad preceptum regis dedisse. Abbas vero in arto positus, hinc videns libertatem suorum militum periclitari, illinc timens ne amitteret saisinam baronie sue pro defectu servicii regis, sicut contigerat Episcopo Lundoniensi et multis baronibus Anglie, statim transfretavit; et fatigatus multis laboribus et expensis et exeniis quamplurimis que regi dedit, in primis nullum potuit facere finem cum rege per denarios. Dicenti ergo, se non indigere auro nec argento, sed iiij^or^ milites instanter exigenti, quatuor milites stipendiarios optulit abbas. Quos cum rex recipisset, apud castellum de Hou[1] misit. Abbas autem in instanti eis xxxvi marcas dedit ad expensas xl dierum. In crastino autem venerunt quidam familiares regis, consulentes abbati, ut sibi caute provideret, dicentes werram posse durare per annum integrum, vel amplius, et expensas militum excrescere et multiplicari in perpetuum dampnum ei et ecclesie sue. Et ideo consulebant, ut antequam recederet de curia finem faceret cum rege, unde posset quietus esse de militibus predictis post xl dies. Abbas autem, sano usus consilio, centum libras regi dedit pro tali quietantia, et ita cum gratia domini rediit in Angliam, breve regis portans secum, F. 146.
ut milites sui distringerentur per feudos suos ad reddendum ei servicium regis, quod ipse fecerat pro eis. Milites vero summo-

[1] Eu.

niti allegabant paupertatem suam, et multa genera gravaminum, et optulerunt domino suo duas marcas de quolibet scuto. Abbas autem, non immemor, quod ipse eos gravaverat eodem anno, et inplacitaverat de scutagio integre reddendo, volens eos conciliare in gratiam, gratanter accepit quod illi gratanter optulerunt. Tunc temporis, licet multas expensas fecisset abbas ultra mare, non rediit vacua manu ad ecclesiam suam; ferens crucem auream et textum preciosum ad precium quaterviginti marcarum. Alia quoque vice cum redisset de ultra mare, sedens in capitulo dixit, quod si esset celerarius vel camerarius, aliquem questum faceret, qui sue administrationi competeret; et cum esset abbas, aliquid adquirere deberet quod abbatem deceret. Hoc cum dixit, optulit conventui casulam preciosam et mitram auro intextam, et sandalia cum caligis sericis, et cambucam virge pastoralis argenteam et bene operatam. Simili modo, quociens de ultra mare rediit aliquod ornamentum secum portavit.

A. 1197. Anno gratie Mo. C. nonagesimo septimo facte sunt quedam innovaciones et immutaciones in ecclesia nostra, que sub silentio preteriri non debent. Cum non sufficerent celerario nostro antiqui redditus sui, jussit abbas S.[1] ut quinquaginta libre de Mildenhala darentur de incremento annuatim celerario per manum prioris; non simul, sed particulatim per menses, ut singulis mensibus aliquid haberetur ad expendendum, et non totum simul effunderetur in una parte anni: et ita factum est uno anno. Celerarius autem cum conplicibus suis inde conquestus est, dicens, quod si illam pecuniam haberet pre manibus, sibi provideret et se instauraret. Abbas vero petitioni sue cessit, licet invitus. Intrante mense Augusti, jam expendisset celerarius totum, et insuper xx sex libras debebat, et quinquaginta debiturus erat ante festum sancti Michaelis. Audiens hoc abbas moleste tulit, et ita locutus est in capitulo: "Sepius conminatus sum, quod ego capiam celerariam nostram in manu mea propter defectum et improvidentiam vestram, qui singulis debito magno vos obligatis. Clericum meum

[1] Samson.

cum celerario vestro posui in testimonium, ut res consultius ageretur; sed non est clericus vel monachus qui audeat mihi dicere F. 146 *v.*
causam debiti. Dicitur tamen, quod inmoderata convivia in hospicio prioris, per assensum prioris et celerarii, et superflue expense in domo hospitum per incuriam hospitiarii, sint inde causa. Videtis," inquit, "magnum debitum quod instat; dicite mihi consilium, quomodo res emendari debeat." Multi claustrales hoc audientes, et quasi subridentes, gratum habebant quod dicebatur; dicentes, occulte, quia hoc verum est quod abbas dixerat. Retorquebat prior culpam in celerarium; celerarius vero in hospitiarium: quilibet seipsum excusabat. Veritatem quidem sciebamus; sed tacebamus, quia timebamus. In crastino venit abbas, iterum dicens conventui: "Dicite mihi consilium vestrum, quomodo celeraria vestra consultius et melius regi possit?" Nec erat qui aliquid respondebat preter unum qui dixit, nullam omnino superfluitatem esse in refectorio, unde debitum vel gravamen deberet oriri. Tercio die dixit abbas eadem verba; et respondit unus: "Consilium istud a vobis debet emanare, tanquam a capite nostro." Et dixit abbas: "Cum nec consilium vultis dicere, nec domum vestram scitis per vos regere, mihi incumbit tamquam patri et summo custodi disposicio monasterii. Accipio," inquid, "in manu mea celerariam vestram et expensam hospitum, et procuracionem interius et exterius." Hiis dictis, deposuit celerarium et hospitiarium, et alios duos monachos substituit habentes nomina subcelerarii et hospitiarii, clericum suum de mensa sua, magistrum G. eis associans, sine cujus assensu nichil in cibo vel potu, nec in expensis, nec in receptis ageretur. Antiqui emptores removebantur ab empcione in foro, et per clericum abbatis cibaria emebantur; et de bursa abbatis defectus nostri supplebantur. Hospites suscipiendi suscipiebantur et honorandi honorabantur; officiales et claustrales omnes pariter in refectorio reficiebantur, et undique superflue expense resecabantur. Dixerunt autem quidam claustrales intra se: "Septem, utique septem, fuerunt qui bona nostra

comederunt, de quorum comestionibus, si quis loquebatur, quasi reus lese majestatis habebatur." Dicebat alius, tendens ad sidera palmas[1]: "Benedictus Deus qui dedit talem voluntatem abbati, ut talia corrigat." Et dicebant plerique, quia bene est. Alii dicebant non, talem emendacionem honoris depressionem estimantes, et discrecionem abbatis feritatem lupi appellantes, revocabant nempe ad memoriam antiqua somnia, scilicet quod futurus abbas
F. 147. seviret ut lupus. Mirabantur milites, mirabatur populus super hiis que fiebant, et dicebat aliquis in plebe: "Mirum est quod monachi, tot et literati viri, sustinent res et redditus confundi et commisceri cum rebus abbatis; que semper solebant distingui et ab invicem separari. Mirum est quod sibi non cavent de periculo futuro post mortem abbatis, si dominus rex invenerit eos in tali statu." Dixit quidam alius, abbatem solum sapientem esse in rebus exterioribus regendis, et eum debere regere totum, qui scit regere totum. Et erat qui dicebat: "Si saltem unus sapiens monachus esset in tanto conventu, qui domum sciret regere, abbas talia non fecisset." Et ita facti sumus subsanatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.

In tali tempestate contigit diem anniversarium Roberti abbatis recitari in capitulo, et decretum fuit, ut Placebo et Dirige cantarentur sollempnius solito, scilicet cum magnis campanis pulsatis, sicut in anniversariis Ordingi et H.[2] abbatum, propter nobile factum predicti R. abbatis, qui distinxit res et redditus nostros a rebus et redditibus abbatis. Fiebat autem ista sollemnitas quorumdam consilio, ut saltem sic moveretur cor domini abbatis, scilicet ad bene faciendum. Erat autem aliquis qui putabat hoc fieri in confusionem abbatis, qui dicebatur velle confundere et commiscere res et redditus nostros et suos, eo quod saisiaverat celerariam nostram in manu sua. Abbas vero audiens insolitum sonitum campanarum, et bene sciens et advertens hoc contra consuetudinem fieri, causam facti sapienter dissimulavit et missam sollemniter cantavit. Die vero sequente Sancti Michaelis,

[1] Virg. 1 Æn. v. 93. [2] Hugonis.

volens in parte conpescere murmuraciones quorumdam, illum qui prius fuit subcelerarius constituit celerarium, et quendam alium jussit nominari subcelerarium, remanente tamen predicto clerico cum eis, et procurante omnia sicut prius. Cum autem clericus ille metas temperantie excederet, dicens: "Ego sum Bu." (id est, celerarius cum metas temperantie in bibendo excessisset) et, inconsulto abbate, curiam celerarii teneret et vadia et plegios caperet, et redditus annuos reciperet et per manum suam expenderet, summus celerarius publice dicebatur a populo. Cumque sepius per curiam vagaretur et eum tanquam magistrum et summum procuratorem multi sequerentur pauperes et divites debitores, et calumniatores, diversi diverse condicionis et pro diversis negociis, stetit F. 147 *v.*
forte aliquis ex obedientiariis nostris in curia, et hec videns, pre confusione et pudore lacrimatus est, cogitans hoc esse dedecus ecclesie nostre, cogitans consequens periculum, cogitans clericum monacho preferri in prejudicium tocius conventus. Procuravit ergo, quisquis fuit ille, per mediam personam, ut hec domino abbati congrue et rationabiliter insinuarentur, factumque est ei intelligere quod hujusmodi arrogantia in clerico, que fiebat in dedecus et turpitudinem universitatis, posset esse causa magne turbacionis et discordie in conventu. Abbas vero, cum hec audisset, statim fecit mandari celerarium et predictum clericum, jussitque ut celerarius de cetero se haberet ut celerarium in recipiendo denarios, in tenendo placita, et in omnibus aliis rebus, salvo tamen hoc, ut predictus clericus ei assisteret, non a pari, sed ut testis et consiliarius.

Hamo Blundus, unus ex ditioribus hominibus istius ville, agens in extremis, vix aliquid testamentum voluit facere; tandem fecit testamentum ad precium trium marcarum, nullo audiente nisi fratre suo et uxore sua et capellano. Quod cum abbas recognovisset post mortem ejus, illos tres convenit, et acriter corripuit super hoc quod frater ejus, qui heres erat, et uxor ejus non sustinuerunt aliquem alium accedere ad infirmum, cupientes omnia

capere: dixitque abbas in audientia: "Ego fui episcopus ejus, et curam habui anime ejus; ne mihi vertatur in periculum sacerdotis et confessoris ejus inscitia, quia infirmo viventi consulere non potui absens, quod mea interest faciam saltem tarde. Precipio, ut omnia debita ejus et katalla mobilia que valent cc marcas, sicut dicitur, reducantur in scriptum, et una porcio detur heredi, et alia uxori, et tercia pauperibus consanguineis suis et aliis pauperibus. Equum autem, qui ductus est ante feretrum defuncti et oblatus est Sancto Ædmundo, jubeo remitti et reddi: non decet enim ecclesiam nostram coinquinari munere ejus, qui decessit intestatus, et quem fama accusat quod ex consuetudine solebat pecuniam suam ad usuram dare. Per os Dei, si alicui de cetero tale quid contigerit diebus meis, non sepelietur in cimiterio." Hiis dictis, recesserunt ceteri confusi.

F. 147.* In crastino Natalis Domini fiebant in cimiterio conventicula, colluctaciones, et concertationes inter servientes abbatis et burgenses de villa; perventumque fuit a verbis ad verbera, a colafis ad vulnera, et ad effusionem sanguinis. Abbas vero, hec audiens, convocatis clanculo quibusdam, qui ad spectaculum convenerant, sed a longe steterant, nomina malefactorum jussit in scriptum redigi, quos omnes summoneri fecit, ut starent coram eo in crastino Sancti Thome archiepiscopi in capella Sancti Dionisii responsuri; nec interim aliquem de burgensibus vocavit ad mensam suam, sicut prius solebat facere, primis quinque diebus in Natali. Die ergo statuto, acceptis juramentis a sexdecim legalibus hominibus, et auditis eorum attestacionibus, dixit abbas: "Constat quod isti malefactores inciderunt in canonem[1] date[2] sententie; sed quia laici sunt hinc et inde, et non intelligunt quantum facinus sit tale sacrilegium facere, ut ceteri magis timeant, istos nominatim et publice excommunicabo, et, ne in aliqua parte derogetur justitie, a domesticis et servientibus meis incipiam." Sicque factum est, acceptis stolis et accensis candelis. Exierunt ergo omnes ab ecclesia, et, accepto consilio, omnes se exspoliaverunt, et omnino nudi

[1] Ex. de sent. excom. Sacrilegium, 4 et sequ. xvii, quæst. 4, Can. 2.

[2] late?

preter femoralia prostraverunt se ante hostium ecclesie. Cumque venissent assessores abbatis, monachi et clerici, et dicerent lacrimabiliter, quod plusquam centum homines nudi ita jacerent, lacrimatus est et abbas. Rigorem tamen juris in verbo et vultu preferens, et pietatem animi dissimulans, a consiliariis suis voluit cogi, ut penitentes absolverentur, sciens quod misericordia superexaltanda est judicio, et quod ecclesia omnes penitentes recipit. Verberati ergo omnes acriter et absoluti, juraverunt omnes, quod starent judicio ecclesie de sacrilegio perpetrato. In crastino vero data est eis penitentia secundum instituta canonum, et sic omnes ad unitatem concordie revocavit abbas, minas terribiles omnibus proponens qui in dicto vel in facto materiam discordie preberent. Conventicula autem et spectacula prohibuit publice fieri in cimiterio; et sic, omnibus ad bonum pacis reductis, burgenses cum domino suo abbate diebus sequentibus comederunt cum gaudio magno.

Facta est commissio domini pape H.[1] Cantuariensi archiepis- A. 1197.
copo, et domino Lincolniensi, et S.[2] abbati Sancti Ædmundi, de refor- F. 147* *v.*
macione Conventrensis ecclesie et de monachis restituendis, sine cause recognicione. Convocatis ergo partibus apud Oxneford, receperunt judices literas precatorias a domino rege, ut negocium illud poneretur in respectum. Archiepiscopo et episcopo dissimulantibus et tacentibus et quasi clericorum favorem venantibus, solus abbas aperte loquebatur, monachus pro monachis de Conventria, eorum causam publice fovens et defendens. Et eo procurante, eo tenus processum est illa die, quod quedam simplex saisina facta fuit uni ex monachis de Conventria cum uno libro. Set dilata fuit corporalis institutio ad tempus, ut sic saltem petitioni domini regis satisfaceret abbas; vero illo tempore quatuordecim monachos de Conventria, qui ibi convenerant, recepit in hospicio suo, et sedentibus monachis ad mensam ex una parte domus, et ex alia parte magistris scolarum, qui summoniti fuerant, laudabatur abbas magnanimus et magnificus in expensis, nec unquam videbatur in

[1] Huberto. [2] Samsoni.

vita sua magis letus quam tunc temporis fuit, pro reverentia
1198, 13 Jan. monastici ordinis reformandi. Instante festo sancti Hilarii, perrexit abbas cum magna hilaritate Conventreiam, nec victus labore nec expensis, et dicebat quod si oporteret eum feretro equitatorio portari, non remaneret. Veniente eo Conventreiam, et quinque diebus expectante archiepiscopum, omnes monachos prenominatos cum servientibus eorum honorifice secum tenuit, donec
18 Jan. creatus fuit novus prior, et monachi sollemniter introducti essent. "Qui habet aures audiendi, audiat[1]" factum memoriale.

A. 1198. Postquam convenit inter abbatem S.[2] et R.[3] de Scalis super medietate advocacionis ecclesie de Wetherdene, et idem R. recognovisset Sancto Ædmundo et abbati jus suum; abbas, nulla conventione prius habita, nullo prius facto promisso, dedit illam ecclesie medietatem que eum contingebat magistro R.[4] de Scalis fratri ejusdem militis, hac condicione, ut annuam pensionem trium marcarum per manum nostri sacriste redderet magistro scolarum, quicunque legeret in villa Sancti Ædmundi. Hoc autem fecit abbas memorande pietatis ductus affectu, et sicut prius emerat domos lapideas ad scolas regendas, ut pauperes clerici quieti essent a conductione domus, ita de cetero essent quieti ab omni exactione denario-
F. 148. rum, quos magister scolarum, ex consuetudine, exigebat pro erudicione sua. Domino autem Deo volente, et abbate vivente, tota medietas predicte ecclesie, que valet, sicut dicitur, centum solidos, ad tales usus converteretur.

Cum abbas in villis suis per abbatiam multa et varia edificia construxisset, et perhendinasset ad maneria sua sepius et frequentius quam nobiscum domi, tandem quasi in se rediens, et quasi bonum in melius commutans, dixit se magis solito domi commoraturum, et edificia infra curiam ad usus necessarios facturum, respectum habens ad interiora et exteriora, et sciens quia "presentia domini provectus est agri.[5]" Stabula ergo et officinas in curia circum circa, que cooperte erant arundine prius, novis tectis appositis, lateribus cooperiri jussit, procurante H.[6] sacrista, ut sic

[1] Matt. xi. 15. [2] Samsonem. [3] Robertum. [4] Rogero.
[5] Pallad. l. 1. tit. 6. [6] Hugone.

omnis timor excluderetur et periculum ignis. Et ecce tempus acceptabile, dies desideratus! quod non sine gaudio scribo, qui curam hospitum habeo. Ecce! jubente abbate, resonat curia ligonibus et machinis cementariis ad subvertendam domum hospitum, et jam fere tota est prostrata: de reedificacione cogitet Altissimus! Lardearium novum sibi construxit abbas in curia, et vetus lardearium conventui ad opus camerarii dedit, quod indecenter sub dormitorio fuerat. Capelle sancti Andree et sancte Katerine et sancte Fidis noviter plumbo cooperte sunt. Multe quoque emendaciones infra ecclesiam et extra facte sunt. Si non credis, aperi oculos tuos et vide. Tempore quoque suo facta est elemosinaria nostra lapidea, que prius erat debilis et lignea, ubi quidam frater noster Walterus medicus, tunc temporis elemosinarius, multum apposuit, quod arte medicinali adquisivit. Item videns abbas quod tabula argentea magni altaris, et multa alia preciosa ornamenta, alienata fuerant propter recuperacionem de Mildenhala et redempcionem regis Ricardi, tabulam illam noluit reformare nec alia consimilia, que consimili casu possent evelli et distrahi; sed ad cristam faciendam pretiosissimam super feretrum gloriosi martiris Ædmundi studium suum convertit, ut ibi ornamentum suum poneretur unde nullo casu posset abstrahi, nec aliquis hominum manus auderet apponere. Quippe captivato rege Ricardo in Alemannia, non erat thesaurus in Anglia, qui non F. 148 *v.*
daretur vel redimeretur, set feretrum Sancti Ædmundi remansit intactum. Venit tamen in questionem coram justitiariis ad scaccarium utrum feretrum Sancti Ædmundi saltem in parte excrustaretur ad redempcionem regis Ricardi, et abbas se erigens respondit: "Scitote pro vero, quod nunquam hoc fiet per me, nec est homo qui me ad hoc posset cogere, ut consentiam. Sed aperiam hostia ecclesie; intret qui velit, accedat qui audeat." Responderunt singuli justitiarii cum juramentis: "Nec ego accedam, nec ego accedam. In remotos et absentes sevit Sanctus Ædmundus; multo magis in presentes seviet, qui tunicam suam ei auferre voluerint." Hiis dictis, nec feretrum fuit excrustatum, nec inde

precium datum. Ceteris ergo omissis, conversus est animus abbatis satis consulte et provide ad cristam feretri fabricandam. Et jam resonant lamine auree et argentee inter malleum et incudem, et "tractant fabrilia fabri.[1]"

circ. 1198. Adam de Cokefeld moriens filiam trium mensium reliquit heredem; wardamque dedit abbas de feudo suo, ubi volebat. Rex vero Ricardus, sollicitatus a quibusdam familiaribus suis, peciit anxie wardam et puellam ad opus cujusdam servientis sui; quandoque per literas, quandoque per nuntios. Abbas vero respondit se wardam dedisse, et carta sua confirmasse; mittensque nuntium suum regi temptavit prece et precio, si quomodo posset iram ejus mitigare. Et respondit rex cum magna indignacione, quod se vindicaret de superbo abbate, qui ei contradixit, nisi desisteret pro reverentia Sancti Ædmundi quem timuit. Redeunte ergo nuntio, abbas minas regis sapienter dissimulavit, et dixit: "Mittat rex si vult, et saisiet wardam; vim et potestatem habet faciendi voluntatem suam, et auferendi totam abbatiam. Ego nunquam flectar, ut hoc velim quod petit, nec per me hoc unquam fiet. Timendum enim est ne talia trahantur ad consequenciam in prejudicium successorum meorum: pro negocio isto nunquam regi pecuniam dabo. Videat Altissimus. Ego quicquid contigerit patienter sustinebo." Cum ergo multi dicerent
F. 149. et crederent regem esse commotum versus abbatem, ecce! rex amicabiliter scripsit abbati, et mandavit ut de canibus suis aliquos ei daret. Abbas vero non immemor illius dicti sapientis;[2]

Munera (crede mihi) capiunt hominesque deosque:
Placatur donis Jupiter ipse datis,

canes, sicut rex mandaverat, insuper et equos et alia munera preciosa, ei transmisit. Que cum rex gratanter suscepisset, probitatem abbatis et fidelitatem ejus publice coram comitibus et baronibus suis magnifice commendavit, et annulum preciosum, quem dominus papa Innocentius tercius per magnam caritatem ei donaverat, primum scilicet donum quod ei

[1] Horat. l. 2. Ep. v. 116. [2] Ovid. Ar. Am. v. 653.

post consecracionem suam oblatum fuerat, abbati per nuntios suos A. 1198. misit in signum familiaritatis et amoris, et per breve suum de xeniis sibi transmissis gratias multiplices egit.

Multi mirabantur de consuetudinibus que immutabantur, domino Samsone abbate vel jubente vel permittente. A tempore quo villa Sancti Ædmundi nomen et libertatem burgi accepit, solebant homines de singulis domibus dare celerario unum denarium in principio Augusti, ad metendum segetes nostras, qui census dicebatur *rep-selver;* et antequam villa fuit libera, solebant omnes metere ut servi; sola hospicia militum et capellanorum et servientium curie quieta erant a tali censu. Processu temporis, pepercit celerarius quibusdam ditioribus ville, nichil exigens ab eis; alii burgenses, hoc videntes, publicè dicebant, quod nemo, qui haberet messuagium proprium, deberet dare illum denarium; sed illi qui alienas domos conducebant. Postea, omnes communiter hanc libertatem petebant, convenientes inde dominum abbatem, et annuum redditum pro tali exactione offerentes; abbas vero attendens qualiter celerarius turpiter ibat per villam ad colligendum *rep-selver*, et qualiter faciebat capi vadia in domibus pauperum, quandoque tripodes, quandoque hostia, quandoque alia utensilia, et qualiter vetule exibant, cum colis suis, minantes et exprobrantes celerario et suis, decrevit ut viginti F. 149 *v.* solidi darentur singulis annis celerario ad *portmane-mot* proximum, per manum prefecti, ante Augustum, a burgensibus qui attornaverunt redditum ad hoc solvendum. Sicque factum est, et carta nostra confirmatum; data eis alia quietantia cujusdam consuetudinis que dicitur *sor-peni*, pro iiij solidis ad eundem terminum reddendis. Solebat enim celerarius accipere unum denarium per annum, de qualibet vacca hominum ville pro exitu et pastura; nisi forte essent vel vaccæ capellanorum, vel servientium curie, quas vaccas solebat inparcare, et circa hoc multum laborare. Post autem, cum abbas de hoc loqueretur in capitulo, indignabatur conventus et moleste tulit, unde et Benedictus supprior

in capitulo respondens pro omnibus dixit: "Ille, ille abbas Ordingus, qui illic jacet, non faceret tale quid pro quingentis marcis argenti." Abbas vero inde iratus rem distulit ad tempus. Item facta est contencio magna inter R.[1] celerarium et H.[2] sacristam de pertinentiis officiorum suorum, ita quod sacrista nolebat accommodare celerario ergastulum ville ad includendum latrones, qui capiebantur in feudo celerarii. Unde celerarius sepius vexabatur et, latronibus evadentibus, vituperabatur pro defectu justicie. Contigit autem, quod quidam libere tenens de celerario, extra portam manens, Ketel nomine, latrocinio calumniatus et duello victus, suspensus erat. Dolebat autem conventus propter opprobria burgensium, dicentium quod, si esset homo ille manens infra burgum, non pervenisset ad duellum, sed juramentis vicinorum suorum se adquietasset, sicut libertas est eorum qui manent infra burgum. Videntes ergo hoc abbas et sanior pars conventus, et attendentes quod homines, tam extra burgum quam infra, nostri sunt, et omnes debent eadem libertate frui infra *bannamleucam*, preter lancettos de Herdewic et pares eorum, consulte providerunt quomodo posset hoc fieri. Volens itaque abbas officia sacristie et celerarii certis articulis determinare et contenciones sedare, quasi fovendo partem sacriste, precepit, ut servientes prefecti ville et servientes celerarii intrarent simul feudum celerarii ad capiendos
F. 150. latrones et malefactores, et prefectus dimidium lucri haberet pro incarceracione et custodia et labore suo, et curia celerarii veniret ad *portmanne-mot*, et ibi communi consilio judicarentur judicandi. Statutum est etiam, ut homines celerarii venirent ad domum thelonei cum aliis, et ibi renovarent pleggios suos, et scriberentur in rolla prefecti, et ibi darent prefecto denarium, qui dicitur *borth-selver*, et celerarius haberet dimidiam partem; sed nunc nihil omnino inde capit celerarius: hoc autem totum fuit factum, ut omnes equali libertate gauderent. Dicunt tamen adhuc burgenses, quod suburbani non deberent esse quieti de theloneo in foro, nisi fuerint in gilda mercatorum. Prefectus autem, abbate

[1] Rogerum. [2] Hugonem.

dissimulante, placita et forisfacturas sibi vendicat de feudo celerarii hiis diebus.

Antique consuetudines celerarii, quas vidimus, tales fuerunt: celerarius habebat messuagium et horrea sua juxta fontem Scuruni, ubi sollemniter curiam suam solebat tenere de latronibus et omnibus placitis et querelis, et ibi solebat ponere homines suos in plegios et inrollare, et renovare singulis annis, et inde lucrum capere sicut prefectus capiebat ad *portmane-mot.* Quod messuagium, cum orto adjacente, quem nunc infirmarius tenet, fuit mansio Beodrici, qui fuit antiquitus dominus istius ville, unde et villa dicta fuit Beodrichesworth, cujus campi dominici nunc sunt in dominico celerarii. Quod autem nunc vocatur *averland*, fuit terra rusticorum ejus. Erat autem summa tenementi ejus et suorum tricesies triginta acre terre, que adhuc sunt campi istius ville, quorum servitium, cum villa fuit facta libera, dividebatur in duas partes, ut sacrista sive prefectus acciperet liberum censum, scilicet de qualibet acra duos denarios; celerarius haberet araturas et alia servitia, scilicet araturam unius rode pro qualibet acra sine cibo (que consuetudo adhuc observatur); haberet et faldas ubi omnes homines ville, preter senescaldum qui propriam faldam habet, tenentur ponere oves suas (que consuetudo adhuc observatur); haberet et *aver-peni*, scilicet pro singulis triginta acris ij denarios; que consuetudo mutata fuit ante mortem H.[1] abbatis, Gilberto de Aluedena existente celerario. Solebant autem homines ville, jubente celerario, ire apud Laginghehe[2] et reportare avragium de F. 150 *v.*
anguillis de Sutreia,[3] et sepe vacui redire et ita vexari sine aliquo emolimento celerarii; unde convenit inter eos, ut singule triginta acre de cetero darent unum denarium per annum, et homines remanerent domi. Terre autem ille, nunc tempore, in tot partes divise sunt, quod vix scitur a quo ille census dari debet; ita quod vidi celerarium in uno anno capere xxvii denarios, set vix nunc potest habere x denarios et obolum. Item celerarius solebat habere potestatem in viis extra villam, ita quod nulli licuit fodere

[1] Hugonis. [2] Lakenheath. [3] Southrey.

cretam vel argillam sine licentia ejus. Solebat etiam summonere fullones ville, ut ei accomodarent pannos ad sal suum ducendum. Alioquin ipse prohiberet eis usum aquarum, et caperet telas quas ibi inveniret; que consuetudines adhuc observantur. Item quicumque emit a celerario bladum vel aliud, solebat esse quietus de theloneo ad portam ville quando exiret, unde celerarius rem suam carius vendebat, quod adhuc observatur. Item celerarius solet accipere theloneum de lino, tempore rotacionis, scilicet unam bottam de qualibet cerna. Item solus celerarius debet, vel solebat habere, liberum taurum in campis hujus ville; nunc habent plures. Item quando aliquis delegabat terram burgagii in elemosinam conventui, et hoc assignabatur celerario vel alio officiali, terra illa solebat de cetero esse quieta de *haggovele*, et maxime celerario propter dignitatem officii, quia secundus pater est in monasterio, vel propter reverentiam conventus, quia favorabilis debet esse condicio eorum qui victum nostrum procurant; set talem consuetudinem dicit abbas esse injustam, ubi sacrista amittit servicium suum. Item celerarius solebat warentizare servientibus curie, ut essent a scotto et tailagio quieti; set nunc non est ita, quia burgenses dicunt, quod servientes curie debent esse quieti in eo quod sunt servientes, set non in hoc quod tenent burgagium in villa, et quia ipsi vel uxores eorum faciunt publicas emtiones et vendiciones in foro. Item celerarius libere solebat capere omnia
F. 151. sterquilinia ad opus suum, in omni vico, nisi ante hostia eorum qui habebant *averland;* illis enim solis licebat fimum colligere et habere. Ista consuetudo paulatim defecit tempore Hugonis abbatis, usque quod Dionisius et Rogerus de Hehingheham fuerunt celerarii, qui, volentes antiquam consuetudinem revocare, ceperunt redas burgensium fimo honeratas, et eas exhonerari fecerunt; sed reclamante multitudine burgensium et prevalente, quilibet in tenemento suo fimum colligit, et pauperes suum vendunt, quando et cui voluerint. Item celerarius in foro istius ville tale privilegium solet habere, quod ipse vel emptores sui primam emtionem habebunt de omni cibo ad opus conventus, si abbas domi non

fuerit. Emptores abbatis vel celerarii, qui prius venient in foro, prius ement, sive isti sine illis, sive illi sine istis. Si autem hinc et inde presentes fuerint, deferendum est emtoribus abbatis. Item tempore quo venditur allec, ement emtores semper abbatis centenarium de allec[1] minus quam ceteri, uno obolo; similiter celerarius et sui emptores. Item si summa de pisce vel alio cibo venerit in curiam primo vel in forum venerit, et summa illa non fuerit discargiata de equo vel de carecta, celerarius vel emtores sui summam integram ement et secum ducent sine theloneo. Abbas autem Samson precepit emtoribus suis, ut cederent celerario et suis, quia, sicut ipse dixit, maluit ut ipse esset in defectu quam suus conventus. Emtores ergo, honore se invicem prevenientes,[2] si aliquid emendum invenerint quod non sufficiat ambabus partibus, rem pariter emunt et a pari dividunt, et sic capitis ad menbra, patris ad filios, remanet discordia concors.[3]

Poeta dixit, "summa petit livor;[4]" hec idcirco repeto quia cum aliquis presens scriptum inspiceret, et tot bene acta legeret, adulatorem abbatis me nominavit, et venatorem favoris et gratie, dicens, quod quedam suppressi tacitus, que tacenda non essent. Cumque interrogarem que et qualia, respondit: "Nonne vides, quod abbas dat eschaetas terrarum de dominicis terris conventus, et puellas F. 151 *v.*
heredes terrarum, et viduas, tam in villa Sancti Ædmundi quam extra, pro beneplacito suo? Nonne vides, qualiter abbas abstrahit sibi loquelas et placita calumpniantium, per breve regis, terras que sunt de feudo conventus, et maxime illas loquelas unde lucrum surgit; et illas unde lucrum non sequitur, illas remittit celerario vel sacriste aut aliis officialibus?" Quibus respondi, ut scivi, forte bene, forte male, dicens, quod quilibet dominus feudi, cui sit homagium, debet de jure habere eschaetam, cum evenerit in feudo, unde ipse accepit homagium; et consimili racione, generale auxilium burgensium et wardas puerorum et donaciones viduarum et puellarum in illis feudis unde accepit homagium, que omnia soli abbati convenire videntur, nisi forte vacaverit abbatia. In villa tamen

*ic.* [2] Rom. xii. 10. [3] Lucan. I. v. 98. [4] Ovid. Remed. Am. 369.

Sancti Ædmundi consuetudo extitit ratione burgi, ut proximus consanguineus habeat wardam pueri cum hereditate, usque ad annos discretionis. Item de loquelis et placitis respondi, me nunquam vidisse abbatem sibi usurpasse placita nostra, nisi pro defectu justitie nostre; sed tamen pecuniam aliquando accepisse ut, sua auctoritate interveniente, loquele et placita debitum sortirentur finem. Vidi etiam aliquando placita, que ad nos spectant, tractari in curia abbatis; quia non erat aliquis, qui in principio litis ex parte conventus forum allegaret.

A. 1198. Anno gracie M°. C. nonagesimo viij°. voluit gloriosus martir Ædmundus terrere conventum nostrum et docere, ut corpus ejus reverentius et diligentius custodiretur. Erat quidam ligneus tabulatus inter feretrum et magnum altare, super quem duo cerei, quos solebant custodes feretri reclutare, et cereum cereo superponere, et indecenter conjungere. Erant sub tabulato illo multa reposita indecenter, linum et filum et cera, et utensilia varia, immo quicquid veniebat in manus custodum, ibi reponebatur hostio et parietibus ferreis existentibus. Cum ergo dormirent custodes nocte sancte Aleldrethe, cecidit, ut credimus, pars cerei
F. 152. reclutati jam conbusti super predictum tabulatum pannis opertum, et cepit omnia proxima que supra et subtus erant accendere, ita quod parietes ferrei omnino igne candescerent. Et ecce furor Domini,[1] set non sine misericordia, juxta illud, "cum iratus fueris, misericordie recordaberis.[2]" Eadem enim hora cecidit horologium ante horas matutinas, surgensque magister vestiarii, hoc percipiens et intuens, cucurrit quamtocius et, percussa tabula tanquam pro mortuo, sublimi voce clamavit dicens feretrum esse conbustum. Nos autem omnes accurrentes flammam invenimus incredibiliter sevientem, et totum feretrum amplectentem, et non longe a trabibus ecclesie ascendentem. Juvenes ergo nostri propter aquam currentes, quidam ad puteum, quidam ad horologium, quidam cucullis suis impetum ignis cum magna difficultate extinxerunt, et sanctuariâ quedam prius diripuerunt.

1 Num. xi. 33. 2 Habacuc. iii. 2.

Cumque frigida aqua super frontem feretri funderetur, ceciderunt lapides et quasi in pulverem redacti sunt. Clavi autem, quibus lamine argentee configebantur feretro, exiliebant a ligno subtus conbusto ad spissitudinem digiti mei, et pendebant lamine sine clavis una ex altera. Aurea quidem majestas in fronte feretri cum quibusdam lapidibus remansit firma et intacta, et pulcrior post ignem quam ante, quia tota aurea fuit.

Contigit etiam, volente Altissimo, tunc temporis magnam trabem, que solebat esse ultra altare, sublatam esse, ut nova sculptura repararetur. Contigit et crucem, et Mariolam, et Johannem, et loculum cum camisia sancti Ædmundi, et philateria cum reliquiis, que ab eadem trabe pendere solebant, et alia sanctuaria que super trabem steterant, omnia prius sublata esse; alioquin omnia conbusta essent, ut credimus, sicut pannus depictus conbustus fuit, qui in loco trabis pendebat. Sed quid fieret si cortinata esset ecclesia? Cum ergo securi essemus quod ignis in nullo loco perforasset feretrum, rimas et foramina, si qua essent, attentissime investigantes, et omnia frigida esse percipientes, mitigatus est in parte dolor noster: et ecce! clamaverunt quidam ex fratribus F. 152 *v.*
nostris cum magno ejulatu ciphum sancti Ædmundi esse combustum. Cumque plures hinc et inde quererent lapides et laminas inter carbones et cineres, extraxerunt ciphum omnino inviolatum, jacente in medio magnorum carbonum, qui jam extincti erant, et invenerunt eundem involutum panno lineo, sed semiusto. Pixis vero quercina, in qua ciphus de more ponebatur, conbusta erat in pulverem, et sole ligature ferree et sera ferrea inventa sunt. Viso itaque miraculo, omnes lacrimati sumus pre gaudio. Majorem ergo partem frontis feretri excrustatam videntes et turpitudinem combustionis abhorrentes, de communi consilio, accersito clam aurifabro, laminas conjungi fecimus et feretro apponi, sine omni dilacione, propter scandalum; vestigia quoque conbustionis, vel cera, vel alio modo cooperiri fecimus. Set teste evangelista, "Nichil opertum quod non revelabitur.[1]" Venientes summo mane peregrini oblaturi,

[1] Luc. xii. 2.

nichil tale quid perceperunt: quidam tamen circumcirca intuentes querebant, ubi fuit ignis quem circa feretrum fuisse jam audierant. Cumque ergo omnino celari non potuit, responsum est querentibus, candelam cecidisse et manutergia tria conbusta esse, et ad ignis calorem lapides quosdam in fronte feretri deperisse. Fingebat tamen fama mendax caput sancti esse conbustum: quidam dicebant capillos tantum esse conbustos; sed cognita postmodum veritate, obstructum est os loquentium iniqua.[1] Hec omnia facta sunt, providente Domino, ut loca circa feretrum sancti sui honestius custodirentur, et ut propositum domini abbatis citius et sine dilacione debitum finem sortiretur; scilicet, ut ipsum feretrum cum corpore sancti martiris securius et gloriosius in loco eminentiore poneretur; quia antequam hoc predictum infortunium accidit, jam crista feretri usque ad medietatem facta fuit, et lapides marmorei ad elevandum et sustinendum feretrum, ex parte magna, parati et politi fuerant.

Valde dolebat dominus abbas qui absens erat, auditis hiis rumoribus; qui domum rediens, et in capitulum veniens, hec et
F. 153. consimilia et etiam majora pericula dixit posse evenire propter peccata nostra, et maxime propter murmuraciones nostras de cibo et potu; culpam quodammodo in universitatem conventus retorquens, pocius quam in avariciam et negligenciam custodum feretri. Ut ergo nos prudenter induceret ad hoc, ut abstinenciam faceremus de pitantiis nostris, saltem uno anno, et, ad frontem feretri reparandam de puro auro, redditus de pitanceria apponeremus, ipse primus dedit exemplum largitatis, et totum tesaurum suum quem habebat de auro, scilicet xv anulos aureos, valentes, ut creditur, sexaginta marcas, coram nobis ad reparacionem feretri dedit. Nos autem pitanceriam nostram esse dandam ad tale opus, omnes concessimus; sed mutatum est consilium per sacristam dicentem, sanctum Ædmundum bene posse reparare feretrum suum sine tali auxilio.

Tunc temporis venit aliquis magni nominis, nescio quis, qui

[1] Psalm. lxii. 12. vulg.

visionem suam narravit abbati, unde ipse multum movebatur, et eam in pleno capitulo asperrima narravit prolacione; et exposuit hoc modo: "Verum est," inquid, "quod quidam vir magnus per visionem vidit, scilicet quod sanctus martir Ædmundus videbatur extra feretrum suum jacere, et gemendo dicere se pannis suis expoliatum et macilentum esse fame et siti, et suum cimiterium et atria ecclesie sue neggligenter custodiri." Et hoc somnium exposuit abbas coram omnibus, retorquens culpam in nos hoc modo: "Sanctus Ædmundus nudum se asserit, quia pannos vestros veteres subtraitis nudis pauperibus, et inviti datis quod dare debetis, et de cibo et de potu similiter; desidia, etiam neggligencia sacriste et sociorum ejus, patens ex recenti infortunio combustionis que fuit inter feretrum et altare." Hiis dictis contristabatur conventus, et post capitulum conveniebant plures fratres in unum et interpretabantur somnium hoc modo: "Nos," inquiunt, "sumus nuda menbra sancti Ædmundi, et conventus est nudum corpus ejus; quia nos spoliati sumus antiquis consuetudinibus et libertatibus nostris. Abbas omnia habet, cameriam, sacristiam, cellariam; et nos perimus fame et siti, qui victum nostrum non habemus, nisi per clericum abbatis et per ejus administracionem. Si cus- F. 153 *v.*
todes feretri neggligentes fuerint, abbas sibi imputet; quia tales ipse constituit." Hoc modo multi loquebantur in conventu. Cum autem hec interpretacio ostensa esset abbati in foresta de Herlaua, in redeundo de Lundoniis, valde iratus est et commotus, et respondens ait: "Volunt ipsi retorquere somnium illud in me: per os Dei! quam cito domum rediero, reddam eis consuetudines quas suas dicunt, et removebo clericum meum a celerario, et eos eis relinquam; et videbo sapientiam eorum in fine anni. Hoc anno residebam domi, et feci cellariam eorum servari sine debito; et tales michi reddunt graciarum actiones!" Rediens ergo domum abbas, habens in proposito transferre sanctum martirem, humiliavit se coram Deo et hominibus, cogitans, ut se in omnibus emendaret, et pacem cum omnibus, et maxime cum conventu suo,

reformaret. Sedens ergo in capitulo, celerarium et subcelerarium per communem assensum nostrum eligi precepit; et clericum suum removit, dicens, quod quicquid fecerat, propter commodum nostrum id fecerat, teste Deo et sanctis ejus, et se multis modis excusavit.

1198. 20 Nov. Audite, celi,[1] que loquar, audiat terra[2] factum Samsonis abbatis. Igitur, apropinquante festo sancti Ædmundi, politi sunt lapides marmorei, et parata sunt omnia ad elevacionem feretri. Celebrato igitur die festi, sexta feria, sequente die dominica, indictum est triduanum jejunium populo; et ostensa est eis publice causa jejunii. Abbas autem predixit conventui, ut se prepararent ad transferendum feretrum et consistendum super magnum altare, donec machina cementaria perficeretur; et tempus et modum prefixit ad tale opus. Cum ergo venissemus illa nocte ad horas matutinas, stetit magnum feretrum super altare, vacuum intus, ornatum coriis albis cervinis, sursum et deorsum et circumcirca, que affigebantur ligno clavis argenteis, et panellus unus stetit deorsum juxta columnam ecclesie, et sanctum corpus adhuc jacebat, ubi jacere
F. 154. solebat. Percantatis laudibus, omnes accessimus ad disciplinas suscipiendas. Quo facto, vestiti sunt in albis dominus abbas et quidam cum eo, et accedentes reverenter, sicut decebat, festinabant detegere loculum. Erat autem pannus lineus exterius, qui loculum et omnia cetera includebat, qui quibusdam ligamentis suis desuper ligatus inventus fuit; postea quidam pannus sericus, et postea alter lineus pannus, et postea tertius, et ita tandem discoopertus est loculus stans super ligneum alveolum, ne ipse loculus possit ledi a lapide marmareo. Jacuit super pectus martiris affixus loculo exterius angelus aureus ad longitudinem pedis humani, habens ensem aureum in una manu, et vexillum in altera; et subtus erat foramen in operculo, ubi antiqui custodes martiris solebant manus imponere ad tangendum sanctum corpus. Et erat versus superscriptus imagini:

Martiris ecce zoma servat Michaelis agalma.

[1] Isai. i. 2. [2] Isai. xxxiv. 1.

Erantque anuli ferrei ad duo capita loculi, sicut solebat fieri in cista Norensi. Sublevantes ergo loculum cum corpore, portabant usque ad altare, et apposui manum meam peccatricem in auxilium ad portandum, licet abbas precepisset, ne aliquis accederet, nisi vocatus; et inclusus est loculus in feretro, panello apposito et conjuncto. Putabamus omnes, quod abbas vellet loculum ostendere populo in octavis festi et reportare sanctum corpus coram omnibus; sed male seducti sumus, sicut sequentia docebunt. Feria quarta, canente conventu conpletorium, locutus est abbas cum sacrista et Waltero medico, et initum est consilium, ut duodecim fratres vocarentur, qui fortes essent ad portandos panellos feretri, et prudentes[1] essent ad conjungendos eos et disjungendos. Dixitque abbas se habere in votis videre patronum suum, et se velle sibi associari sacristam et Walterum medicum ad inspectionem; et nominati sunt duo capellani abbatis, et duo custodes feretri, et duo magistri de vestiario; et alii sex, sacrista Hugo, Walterus medicus, Augustinus, Willelmus de Dice, Robertus, Ricardus. Dormiente ergo conventu, vestiti sunt illi duodecim F. 154 *v.*
albis, et extrahentes loculum de feretro portaverunt illum, et ponentes super tabulam juxta antiquum locum feretri, paraverunt se ad disjungendum operculum, quod conjunctum et confixum erat loculo sexdecim clavis ferreis longissimis. Quod cum difficultate fecissent, jussi sunt omnes longius abire, preter duos socios prenominatos. Eratque loculus ita repletus sancto corpore, et in longitudine et in latitudine, quod vix posset acus interponi inter caput et lignum, vel inter pedes et lignum: et jacebat caput unitum corpori, aliquantum levatum parvo cervicali. Abbas ergo intuens cominus, invenit post pannum sericum velantem totum corpus, et postea pannum lineum miri candoris; et super caput pannum parvum lineum, et postea alium parvum pannum sericum et subtilem, tanquam hoc esset velum alicujus sanctimonialis femine. Et postea invenerunt corpus involutum lineo panno; et tunc demum patuerunt omnia lineamenta sancti corporis. Hic

[1] Paralip. xxii. 15.

restitit abbas, dicens se non esse ausum ultra procedere, ut sanctam carnem nudam videret. Accipiens ergo caput inter manus suas, gemendo ait: "Gloriose martir, sancte Ædmunde, benedicta sit illa hora qua natus fuisti. Gloriose martir, ne vertas michi in perdicionem audaciam meam, quod te tango, peccator et miser; tu scis devocionem et intencionem meam." Et procedens tetigit oculos et nasum valde grossum, et valde eminentem, et postea tetigit pectus et brachia, et sublevans manum sinistram digitos tetigit et digitos suos posuit inter digitos sanctos. Et procedens invenit pedes rigide erectos tanquam hominis hodie mortui, et digitos pedum tetigit, et tangendo numeravit. Datumque est consilium, ut ceteri fratres vocarentur et miracula viderent, et venerunt sex vocati et sex alii fratres cum illis qui se intruserunt sine assensu abbatis, et videbant sanctum corpus; scilicet, Walterus de Sancto Albano, et Hugo infirmarius, et Gilbertus frater prioris, et Ricardus de Hehingham, et Jocellus celerarius, et Turstanus Parvus, qui solus manum apposuit et pedes sancti
F. 155. tetigit et genua. Et, ut esset copia testium, disponente Altissimo, unus ex nostris fratribus Johannes de Dice sedens supra testitudinem[1] ecclesie, cum servientibus de vestiario, omnia ista evidenter videbat. His factis, affigebatur operculum loculo eisdem clavis et totidem, et simili modo, ut prius, cooperto martire eisdem pannis et eodem ordine, sicut prius inventus fuit. Et postea collocatus est loculus in solito loco, et positus est super loculum, juxta angelum, furulus quidam sericus, in quo reposita fuit scedula Anglice scripta, continens quasdam salutaciones Ailwini monachi, ut creditur, que scedula prius fuit inventa juxta angelum aureum quando loculus detegebatur. Et jubente abbate, statim scriptum fuit et aliud breve, et in eodem furulo reconditum, sub hac forma verborum: "Anno ab incarnatione domini M°. C. nonagesimo octavo, abbas Samson, tractus devotione, corpus sancti Ædmundi
26 Nov. vidit et tetigit, nocte proxima post festum sancte Katerine, his testibus—" et subscripta sunt nomina decem et octo monachorum.

[1] Testudinem?

Involverunt autem fratres totum loculum panno lineo satis apto, et posuerunt desuper pannum sericum preciosum et novum, quem Hubertus archiepiscopus Cantuariensis eodem anno optulerat, et quendam pannum lineum dupplicatum ad longitudinem loculi posuerunt proximum lapidi, ne loculus vel alveolus ejus posset ledi a lapide. Et postea portati sunt panelli et decenter conjuncti in feretro. Cum autem veniret conventus ad matutinas cantandas, et ista perciperet, doluerunt omnes qui hec non viderant, intra se dicentes: "quod male seducti sumus." Cantatis autem horis matutinis, convocavit abbas conventum ante magnum altare, et ostendens eis breviter rem gestam, allegabat quod non debuit nec potuit omnes vocare ad talia. Quibus auditis, cum lacrimis "Te Deum laudamus" cantavimus, et ad campanas in choro resonandas properavimus.

Quarto die sequente, custodes feretri, et custodem sancti Botulfi, deposuit abbas; novos substituens et leges eis proponens, ut sanctuaria honestius et diligentius custodirent. Magnumque altare, F. 155 *v.*
quod prius concavum erat, ubi sepius quedam indecenter reponebantur, et spatium illud quod erat inter feretrum et altare, solidari fecit lapide et cemento, ne aliquid ignis periculum fieri possit per neggligenciam custodum, sicut prius, juxta dictum sapientis dicentis:

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.[1]

Cum abbas emisset favorem et graciam regis Ricardi donis et denariis, ita quod omnia negocia sua crederet posse perficere pro suo desiderio, mortuus est rex Ricardus, et abbas perdidit opera A. 1199.
et impensam. Rex autem Johannes post coronacionem suam, omissis omnibus aliis negociis suis, statim venit ad sanctum Ædmundum voto et devocione tractus. Nos vero credebamus quod oblaturus esset aliquid magnum; pannum quidem sericum unum optulit, quem servientes ejus a nostro sacrista mutuo acceperant, nec adhuc precium reddiderunt. Hospicium vero sancti Ædmundi suscepit, magnis celebratum expensis, et recedens nichil

[1] Erasm. Adag. 636.

omnino honoris vel beneficii sancto contulit, preter xiij sterlingos, quos ad missam suam optulit, die qua recessit a nobis.

Eo tempore conquesti sunt quidam obedientiarii nostri, dicentes in capitulo, Radulfum janitorem, servientem nostrum, stare in causis et querelis contra eos in damnum ecclesie et in prejudicium conventus. Preceptumque fuit a priore, de communi assensu, ut castigaretur secundum consuetudinem nostram, qua solent castigari servientes nostri, scilicet per subtractionem stipendiorum suorum. Preceptum est ergo, ut celerarius subtraheret ei non conredium quod de jure pertinebat ad officium suum, secundum attestationem carte sue, sed quasdam adjectiones et gratias quas celerarii et subcelerarii ei fecerant, inconsulto conventu. Radulfus vero predictus, assumtis secum quibusdam de mensa abbatis, conquestus est abbati redeunti de Lundoniis, quod prior et conventus dissaisiaverant eum de conredio suo, quo saisiatus fuit quando abbas venit primo ad abbatiam. Dixerunt etiam abbati, quod hoc factum fuit sine eo, et ad dedecus suum, et irrationabiliter, eo inconsulto et causa incognita. Abbas vero credidit, et aliter quam decebat, vel solebat, motus est, Radulfum constanter excusans et innocentem esse protestans, veniensque in capitulum, et inde conquerens, dixit tale quid factum esse in prejudicio, eo inconsulto. Responsumque est ab uno, ceteris omnibus conclamantibus, hoc esse factum per priorem, et assensum tocius capituli. Abbas vero inde confusus, et dicens, "filios enutrivi et exaltavi, ipsi vero spreverunt me,[1]" nichil dissimulans, sicut deceret propter pacem multitudinis, set potius potentiam suam ostendens, nec vinci se sustinens, publice precepit celerario, ut omnia sublata Radulfo plene et integre redderet, nec biberet aliquid nisi aquam, donec omnia redderet. Jocellus vero celerarius, hoc audiens, elegit magis illa die bibere aquam, quam reddere conredium Radulfo contra voluntatem conventus; quod cum abbas scivisset, in crastino prohibuit celerario et esum et potum donec omnia redderet. His dictis, statim recessit abbas de villa, et

[1] Isai. i. 2.

absentavit se octo diebus. Eo die, quo recesserat abbas, surrexit celerarius in capitulo et preceptum abbatis ostendens, tenensque claves suas in manu, dixit: se malle deponi de bailia sua, quam aliquid facere contra conventum. Factusque est tumultus magnus in conventu, qualem nunquam prius vidi; dixeruntque preceptum abbatis non esse tenendum. Seniores vero et sapientiores de conventu, discrete tacentes, tandem pronuntiaverunt obediendum esse abbati in omnibus, nisi in manifestis contra Deum, et assensum prebuerunt, ut hanc turpitudinem ad tempus sustineremus propter bonum pacis, ne deterius contingeret. Cumque prior incepisset cantare "Verba mea[1]" pro defunctis, sicut consuetudo est, restiterunt novitii et cum eis fere media pars conventus, et sublimi voce reclamaverunt et contradixerunt. Et prevaluit tamen senior pars conventus, licet pauci essent numero in respectu cetere multitudinis. Abbas vero absens per internuntios quosdam minis terruit, quosdam blandiciis attraxit, et majores de conventu, tanquam timerent tunice sue, a consilio universitatis separavit, ut adimpleretur illud evangelium, "omne regnum in se divisum desolabitur.[2]" Et dixit abbas, se nequaquam venturum inter nos propter conspiraciones et juramenta que, ut aiebat, feceramus in eum, cnipulis nostris occidendum. Rediens ergo domum F. 156 v.
sedensque in talamo suo, uni ex fratribus nostris, qui ei magis suspectus erat, mandavit ut ad eum veniret, et quia ad eum venire noluit, timens capi et ligari, excommunicatus est, et postea tota die conpeditus, residens usque mane in domo infirmorum. Tres vero alios innodavit abbas leviori sententia, ut ceteri timerent. In crastino initum est consilium, ut mandaretur abbas, et humiliaremur coram eo, verbo et gestu, quo animus ejus mitigari posset; factumque est ita. Ipse vero satis humiliter respondens, semper tamen justitiam suam allegans, et in nos culpam retorquens, cum vidit nos velle vinci, ipse victus est. Et perfusus lacrimis juravit se nunquam doluisse aliqua de causa, sicut in hoc casu, tum propter se, tum propter nos, et maxime propter notam infamie, que

[1] Psalm. v. 1. Vulg. [2] Matt. xii. 25.

jam publicaverat dissencionem nostram, dicendo monachos sancti Ædmundi velle interficere suum abbatem. Cumque narrasset abbas, qualiter absentasset se ex industria, donec ira sua deferbuisset,[1] repetens dictum philosophi, "In te vindicassem nisi iratus fuissem,[2]" lacrimans surrexit, et omnes et singulos recepit in osculo pacis. Ploravit ille: ploravimus et nos. Absoluti sunt illico fratres qui excommunicati fuerant, et sic "cessavit tempestas, et facta est tranquillitas magna.[3]" Occulte tamen precepit abbas, ut solitum conredium integre daretur Radulfo janitori, sicut prius; quam rem dissimulavimus, tandem comperientes, quod non est dominus qui dominari non velit, et periculosa est pugna que contra fortiorem initur et contra potentiorem arripitur.

A. 1200. Anno gracie Mº. CCmº. facta est descripcio de militibus sancti Ædmundi et de feudis eorum, unde antecessores eorum fuerunt feffati.

Albericus de Ver tenet quinque milites et dimidium; scilicet, in Lodenes[4] et in Brom, unum militem; in Mendham et Prestun, j militem; in Rede, j militem; et in Cokefeld, dimidium; et in Livermere, duos milites.

Willielmus de Hastinges tenet v milites; scilicet, in Lidgate et in Blunham et in Herlinghe, tres milites; et in Tibebeham[5] et in Gersinghe,[6] duos.

F. 157. Comes Rogerus tenet tres milites, in Nortune et Brisingeham.

Robertus filius Rogeri tenet j mil. in Marlesford.

Allexander de Kirkebi tenet j mil. in Kirkebi.

Rogerus de Hou tenet duos milites, in Michlesfela[7] et in Topescroft.

Arnaldus de Charneles et parcenarii ejus j militem, in Acle[8] et in Quidenham, et in Turstune[9] et Tutestun.[10]

Osebertus de Wachesham j militem, in Marlingeford et in Wrtham.[11]

[1] Cic. 4. Tusc. c. 36. [2] Cic. 4. Tusc. 79. Seneca, l. 1. de ira, c. xv. [3] Marc. iv. 39. Luc. viii. 24. [4] Loddon. [5] Tibenham. [6] Gissing. [7] Mickfield. [8] Oakley. [9] Thurston. [10] Stuston. [11] Wortham.

Willielmus de Totestoche[1] j militem, in Randestune.

